



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio Tertia. De modo vnionis ex parte personæ assummentis, in octo
articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

secè naturalis est illi harum naturarum vnio. Antecedens patet ex dictis in a. 4. huius q. Conseq. autem est euident.

„ **NONA CONCL.** Gratia vnionis dicitur Christo naturalis, quantum ad effectum, quod est esse filium Dei naturalem. Hæc est D. Th. in 3. dist. 4. q. 3. a. 2. q. 1. Et probatur ibidem; quoniam nec gratia ordinatur ad vnionem in persona diuina, secundum quam vnionem ille homo dicitur naturalis filius Patris. Et hanc conclusionem intendit iudicio meo D. Augustin. loco supra notato, si verba dictorum capitum sincere & attentè considerentur.

„ **VLTIMA CONCL.** Vtraque gratia potest dici simpliciter, id est absque addito esse Christo naturalis. Probatur hæc ex 4. 6. 7. 8. & 9. conclusionibus. Et confirmatur; quia cum dico; Gratia vnionis est Christo naturalis, dictio illa Christo facit sensum comparatum; ita vt non significetur gratiam vnionis aut habituale esse secundum se ordinis naturalis; sed gratiam vnionis esse tali composito, scilicet Christo Deo & homini naturalem, id est intrinsecam & substantialem; gratiam verò habituale eidem ex proprijs viribus conuenire; quia causatur ab vna eius intrinseca natura, scilicet essentia diuina in humanitate, quasi ad modum naturalis proprietatis, vt ait S. D. in 3. loco notato, & inf. q. 7. a. 13. Vbi latè dictum hoc examinabitur.

Argumenta, & solutio
„ **CONTRA septimam concl.** sunt arg. Vasq. supra relata & soluta.

„ **CONTRA vltimam** sunt argumenta, quæ profert & soluit Aluar. in expositione presentis articuli; in quibus etiam est ratio Cai. ex modo loquendi D. Th. desumpta: cui planè satisficit dicendo, verba illa potest dici, & dictionem illam quasi non habere vim diminuendi; sed exprimendi gratiæ tam vnionis quam habitualis connaturalitatem iuxta illud Ioan. 1. Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre, vt hic aduertit Magister Porrecta, & post eum Aluarez. Quomodo etiam accipienda est dictio illa quodammodo in verbis Augustini relatis in argumento sed contra.

QVAESTIO TERTIA.

De modo vnionis ex parte personæ assumptis, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de vnione ex parte personæ assumptis.

Et circa hoc queruntur octo.

Primo, vtum assumere conueniat personæ diuinæ.

Secundo, vtum conueniat naturæ diuinæ.

Tertio, vtum natura possit assumere abstracta personaliitate.

Quarto, vtum vna persona possit assumere sine alia.

Quinto, vtum qualibet persona possit assumere.

Sexto, vtum plures persona possint assumere vnam numero naturam.

Septimo, vtum vna persona possit assumere duas numero naturas.

Octauo, vtum magis fuerit conueniens de persona filij Dei, quod assumpserit humanam naturam, quam de alia persona diuinæ.

Ratio ordinis.

Absoluta vnionis seu Incarnationis essentia quasi in communi, nunc incipit de eius ratione & modo tractare magis in particulari, &

primò quidem ex parte personæ assumptis in presenti quaest. Deinde verò ex parte assumptæ naturæ in quaestione sequenti. Duæ sunt autem huius quaestionis partes præcipuè: Prior est de modo vnionis huius mysterij prout actu factum est; altera est de modis eiusdem mysterij possibilibus. Prioris tres sunt partes: in prima agitur de assumptione seu vnione personæ diuinæ indistinctè sumptæ in primo art. secunda agit de vnione naturæ diuinæ in secundo art. Tertia de assumptione, seu vnione personæ filij in octauo art. Posterior verò pars in duas diuiditur: in prima tractatur de potestate naturæ diuinæ in ordine ad assumptionem in tertio art. In secunda verò agitur de potestate personæ respectu dictæ assumptionis, & primò tractat quaestionem de possibili necessariò connexam quaestioni & veritati Incarnationis, prout actu facta est, quærens in ar. 4. Vtrum vna persona possit assumere sine alia: nam si non posset, consequens esset, omnes personas actu fuisse Incarnatas; quod est falsum. Deinde proponit alia tria quæsitæ de possibili ad maiorem explicationem huius mysterij: & primò quo ad singulas personas, siue simul siue separatim sumptas in ordine ad assumptionem creatæ naturæ, siue sit vna siue plures, in art. 5. Deinde quo ad omnes simul sumptas in ordine ad vnam numero naturam, in 6. art. Tertiò, quo ad vnam tantum personam in ordine ad plures naturas: in quibus vt patet à communioribus & minus distinctis ad minus communia & magis distincta proceditur.

ARTICVLVS I.

Vtrum persona diuina conueniat assumere naturam creatam.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod persona diuina non conueniat assumere naturam creatam. Persona enim diuina significat aliquid maxime perfectum. Perfectum autem est, cui non potest fieri additio. Cum igitur assumere sit quasi ad se sumere: ita quod assumptum addatur assumpti, videtur, quod persona diuina non conueniat assumere naturam creatam.

Præterea, illud, ad quod aliquid assumitur, communicatur quodammodo ei, quod in ipsum assumitur: sicut dignitas communicatur ei, qui in dignitatem assumitur. Sed de ratione personæ est, quod sit incommunicabilis: vt in prima parte dictum est. Ergo persona diuina non conuenit assumere, quod est ad se sumere.

Præterea, Persona constituitur per naturam. Sed inconueniens est, quod constitutum assumat constituens: quia effectus non agit in suam causam. Ergo persona non conuenit assumere naturam.

Sed contra est, quod Aug. dicit de Fide ad Petrum: Formam, id est naturam, serui in suam accepit Deus ille, scilicet Vnigenitus, personam. Sed Deus vnigenitus est persona. Ergo persona competit accipere naturam, quod est assumere.

Respondendo dicendum, quod in verbo Assumptionis duo importantur, videlicet principium actus, & terminus: dicitur enim assumere, quasi ad se sumere. Huius autem sumptionis persona est, & principium, & terminus. Principium quidem, quia persona propriè competit agere: huiusmodi autem sumptio carnis per actionem diuinam facta est. Similiter etiam persona est huius sumptionis terminus: quia, sicut supra dictum est: Vnio facta est in persona non in natura. Et sic patet, quod propriè competit persona, assumere naturam.

Ad pri-

In ep. 1. Syn.
ad Nest.

Ad primum ergo dicendum, quod cum persona diuina sit infinita, non potest eis fieri additio. Vnde Cyrillus dicit in Epist. Synodali Ephes. Conc. Non secundum appositionem coniunctionis intelligimus modum: sicut etiam in vnione hominis ad Deum, quæ est per gratiam adoptionis, non additur aliquid Deo: se illud, quod diuinum est, apponitur homini. Vnde non Deus, sed homo perficitur.

Ad secundum dicendum, quod persona dicitur incommunicabilis, inquantum non potest de pluribus suppositis predicari: nihil tamen prohibet plura de persona predicari. Vnde non est contra rationem personæ sic communicari, vt subsistat in pluribus naturis: quia etiam in personam creatam possunt plures nature concurrere accidentaliter: sicut in persona vnus hominis inuenitur quantitas, & qualitas. Hoc autem est proprium diuinæ personæ, propter eius infinitatem, vt fiat in eo concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam.

q. 2. a. 1.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est, natura humana non constituit personam diuinam simpliciter: sed constituit eam, secundum quod denominatur à tali natura. Non enim ex natura humana habet filius Dei, quod sit simpliciter, cum fuerit ab æterno: sed solum, quod sit homo. Sed secundum naturam diuinam constituitur persona diuina simpliciter. Vnde persona diuina non dicitur assumere diuinam naturam, sed humanam.

Sensus quaesiti.

Res sunt in hoc quaesito termini declarationis. Primus est dictio illa *assumere*, quæ formaliter, & propriè sumitur: prout videlicet significat actum assumptionis actiue distinctum ab vnione, & Incarnatione formaliter, vt patet ex corpore articuli, & resp. ad argumenta. Et per hoc distinguitur hic articulus ab articulo secundo quaestionis præcedentis; in quo quaesitum fuit: Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in personam, quod non aduertens Valentia, vtrumque simul confundit quaesitum. Secundus terminus est verbum *conueniat*, quo non sola potentia ad assumendam naturam creatam significatur, sed exercitium assumendi denotatur; ac si quaeretur; an persona diuina fuerit actiue assumens naturam creatam, vel an actus assumendi sit tribuendus personæ diuinæ. Tertius terminus est *persona*, quo nomine persona diuina significatur indistinctè, id est, absque determinatione ad hanc vel illam, ad vnā vel plures; quatenus persona distinguitur contra naturam tam abstractè quam concretè sumptam: & videtur hic esse sermo de persona propriè & completè sumpta, alioquin superflueret tertius articulus.

Forma Textus.

CONCL. est: Proprièssimè conuenit personæ assumere naturam. Probatur; quia persona est huius assumptionis principium, & terminus; ergo proprièssimè, &c. Antecedens, quoad priorem partem probatur; quia carnis assumptio per actionem diuinam facta est; at personæ diuinæ propriè, competit agere; ergo persona diuina est principium assumptionis. Quo ad secundam verò partem probatur; quia vnio facta est in persona, vt dictum est supra qu. 2. a. 2. ergo etiam persona est huius assumptionis terminus. Consequentia verò principalis enthemematis probatur; quia, in verbo assumptionis duo importantur, videlicet principium actus, & terminus; nam assumere dicitur, quasi ad se sumere.

Expositio Textus.

SINGULOS terminos Conclusionis explicat accuratè Caietanus. Vbi tamen aduerte nomen *personæ* quamquam in ea sumatur abstractione, quam hic explicat idem interpres, accipiendum esse propriè; prout scilicet significat subsistens completum in diuina natura, non curando pro nunc, an illud sit absolutum vel relatiuum, licet verè non sit aut esse posset nisi relatiuum.

Vide etiam apud eundem & apud Porrectam & Suarez. declarationem responsionum ad argumenta D. Thom. & præsertim ad primum, vbi (vt Porrecta & post eum Suarez aduertit) non negat S. D. per assumptionem humanitatis, & vnionem cum persona diuina aliquid ipsi personæ realitatis adiungi: alioquin si per assumptam humanitatem nihil reale adderetur, verbo seu diuinæ personæ de nouo, Verbum siue Deus non fieret realiter homo de nouo: sed negat Deo quidquam addi reale, quod illi imperfectionem adiungat. Cætera vide, si placet apud dictos expostores.

Disputat hic Suarez de vnitatem & pluralitatem existentia & subsistentia diuinæ: de qua latè disseruimus 1. p. q. 39. a. 4. controu. 1. & q. 28. a. 2. in expositione textus. Med. in postrema parte sui com. ad hunc art. disputat eruditè de veritate conclusionis D. Tho.

PRIMA CONTROVERSIA.

An ita sit proprium diuinæ personæ posse naturam creatam assumere, vt nec per Dei potentiam absolutam persona creata possit alienam naturam communicare personalitatem & in ea subsistere?

PRIMA sententia solet tribui Tertulliano in Sententia libr. de carne Christi, cap. 4. & 6. & libr. 3. contra Doctorem Marcionem, cap. 9. dicenti, Angelos cum assumunt corpora vnire ea sibi in vnitatem personæ; quam opinionem sequutus Origenes ait, Malachiam fuisse angelum incarnatum, vt notat D. Hieronymus in præfat. super Malach. & in Comment. in Aegæum, ca. 1. Affirmat etiam idem, scilicet Origenes in 2. Tomo in Ioan. exponens ea verba Ioan. 1. Hic venit in testimonium, &c. plures Angelos olim incarnatos fuisse, & ex eis vnum fuisse Ioannem Baptistam.

Secunda sententia huic proxima fuit Ochami in 3. dist. 1. q. 1. dub. vlt. ad 13. & Gabr. eadem dist. q. 2. ar. 3. dub. 5. Mai. q. 5. Almaini, q. 2. dub. vlt. & Scoti, q. 4. Qui tamen oppositam existimat esse probabilem. Hi docent, posse creatam personam humanam aut Angelicam per Dei potentiam absolutam alienam naturam assumere ad vnitatem sui personalem. Eandem opinionem sequitur Pefantius super hoc a.

Tertia sententia est Valentia super hac quaest. puncto vlt. Vbi quatuor dictis suam explicat opinionem. Primum est: si sermo sit de persona iam creata secundum legem Dei ordinariam, non potest etiam per Dei potentiam absolutam terminare alienam naturam. Secundum est, si sermo sit de persona possibili creati à Deo, valde probabilis est opinio Ochami, videlicet possibile esse per Dei potentiam absolutam, aliquam personam creati eiusmodi perfectione essentiali ab initio suæ creationis præditam, vt possit hypostatice terminare alienam etiam naturam. Tertium est, satis probabiliter posse concedi per ablo-

absolutam Dei potentiam personam aliquam creari posse, quae terminare valeat infinitas naturas, si infinitae essent. Vltimum est: non omnis persona creata, quae plures posset terminare naturas, eo ipso posset terminare infinitas.

Vltima sententia est D. Tho. hic ad 2. dicentis, proprium esse diuinæ personae propter eius infinitatem, ut fiat in ea concursus diuersarum naturarum; non quidem accidentaliter; sed secundum substantiam. Ex quibus verbis deducunt Cai. & Med. super hoc a. Suar. disp. 13. sect. vlt. Vasq. disp. 25. & Aluar. disp. 18. secundum mentem D. Tho. personam creatam nec per Dei potentiam absolutam vniri posse personaliter alienae naturae. Quam sententiam praeter dictos expositores sequuntur etiam Durand. dist. 1. q. 5. Palud. q. 1. a. 2. Sotus in 4. dist. 9. q. 2. a. 2. & Henric. quodlib. 11. q. 10. sed in afferenda veritatis huius probatione valde dissentiunt: quilibet enim ex recentioribus alterius probationes rejicit, ut minimè sufficientes & vnam aliam aut plures in medium affert, ut efficaces; Nos hic ea tantum attingemus, quae definiendae ac explicandae veritati fuerint opportuna.

Ad huius Controversiae resolutionem praemittendae sunt primò quatuor distinctiones quibus aperietur sensus quaesiti & aditus patefiet inuestigandae veritati. Secundò statuenda sunt quaedam fundamenta, ex quibus tertio deducendae sunt conclusiones, & tandem aduersariorum argumenta diluenda.

Prima distinctio est; Quaestio haec potest moueri dupliciter, videlicet de facto num scilicet aliqua persona creata, puta Angelus, nonnunquam assumat alienam naturam, puta naturam hominis, ignis, nubis, &c. & potest moueri de possibili, an scilicet fieri possit haec assumptio, tametsi nunquam actu facta fuerit? quaestio haec est de possibili tantum; cum de facto satis perspicue constet pars negatiua, ut dicemus. *Secunda distinctio* est; de persona creata dupliciter loqui possumus: vno modo sumendo personam creatam pro ea, quae iam actu secundum legem ordinariam est à Deo producta; Alio modo accipiendi personam creatam pro quacunque persona; non solum creatam; sed etiam à Deo creabili per absolutam eius potentiam: In hac quaestione loquimur cum D. Thom. Caietan. & alijs Thomisticæ doctrinae professoribus de persona creata secundo modo sumpta. *Tertia distinctio* est: Quaestio haec potest esse de possibili tripliciter: Primò secundum potentiam personae creatae naturalem: Secundò secundum potentiam ordinariam ipsius Dei; quatenus est agens supernaturale, vel etiam creatae personae illi à Deo communicata eo modo, quo Sacerdoti communicatur facultas absoluendi poenitentes confessos à peccatis, & transubstantiandi panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem. Tertiò secundum Dei potentiam absolutam, qua potest efficere quicquid non implicat simul rationem entis & non entis, siue quod non implicat contradictionem, ut ait S. D. 1. p. qu. 25. a. 3. hic quaestio est praecipue de possibili tertio modo sumpto de alijs autem modis, quasi secundariò. *Vltima distinctio* est: cum in assumptione alienae naturae ad vnitatem personalem duo sint, videlicet actus assumendi & assumptae naturae terminatio seu personatio quaestio haec duplex esse potest, nimirum tam de actu assumendi quam de terminatione, num scilicet creatae personae possit vtrumque conuenire, vel de solo actu terminandi seu personatione, ita ut quaestio sit: an licet persona creata non possit alienam

Naz. in D. Tho. 3. partem

A naturam assumere, & eam sibi personaliter copulare, saltem possit Deo illam vniente terminare, adeò ut nulla sit ex parte personae creatae repugnantia: & quamuis haec controversia vtramque difficultatem includat, praecipue tamè secundam intèdit: circa eam enim versantur omnes ferè supra notatae Doctorum opiniones. Quibus praemissis.

Notandum est primò, personalitatem esse terminum rationalis naturae realiter ab ea distinctum, & personae intrinsicum ut eius formale constitutum: adeò ut persona vel suppositum sine tali termino, nec per primam operationem possit intelligi, ut ostendimus 1. p. qu. 50. artic. 2. *Controuers. 3.* Pertinet igitur personalitas & suppositualitas ad intimam personae suppositivae substantiam. Cum itaque substantia prima, quae est ipsum suppositum, non suscipiat magis neque minus secundum substantialem sui perfectionem: adeò ut vna & eadem numero substantia prima nequeat esse modo magis & modo minus perfecta, ut ait Aristoteles in predicamentis: Consequens est vanam ac planè ridiculam & absurdam eorum phantasia, qui dicunt posse per Dei potentiam personalitatem hanc extendi, ut possit vnam aliam aut etiam plures naturas terminare. Quemadmodum enim aucta vel immutata substantialem specificam differentiam perfectionem, iam non esset eadem differentia, nec species per eam constituta, sic variata personalitatis seu suppositualitatis perfectione, qua substantia prima constituitur ut sit principaliter & maximè substantia, iam non remaneret eadem numero personalitas aut suppositualitas, nec eadem persona vel suppositum; nam sicut formalibus differentijs species constituuntur & ab inuicem distinguuntur; ita gradibus individualibus intimis & substantialibus constituuntur & differunt ab inuicem substantiae primae: nihil verò magis ad gradum huius suppositi individualem pertinet, quam tanta perfectionis suppositualitas, igitur ea variata non remanebit eadem numero suppositum aut persona; igitur impossibile est etiam per absolutam Dei potentiam huius Angeli personalitatem ad maiorem perfectionem extendi, ut possit vnam aliam aut plures substantiales naturas terminare.

Secundò sciendum est, habitudinem personalitatis seu suppositualitatis ad naturam ea personatam & suppositatam esse habitudinem termini substantialis instar formae perficientis & completis naturam, ut sit per se subsistens separatim ut quoddam totum & perfectum; Ex quo sequitur primò, per nullum accidens reale: aut intentionale à Deo superadditum augeri aut extendi posse personalitatem, ut de nouo terminet aliam naturam: Nullum enim accidens augere potest propriam & intimam substantiae perfectionem & eis substantialem, ac formalem effectum ex tali perfectione prouenientem adiungere: implicat enim augeri substantialem perfectionem intrinsicè aut eius formalem effectum, & hoc fieri per extrinsecum accidens illi superadditum; sicut etiam implicat munus realitatis substantiali proprium immediatum & connaturale per qualitatem extrinsecus additam exerceri, non minus quam implicet albedinem formaliter calefacere, aut calorem formaliter dealbare, aut lineam albedine formaliter terminari. *Secundò sequitur*, non posse creatam personalitatem per Dei potentiam absolutam eleuari, ut alienam naturam terminet ut instrumentum

Ex propria ratione & modo perfectionis personae substantiae absolute sumptae quam creatae vel instrumentalis potest creatae personalitatem per Dei potentiam absolutam eleuari, ut alienam terminet naturam ad modum causae principalis aut instrumentalis.

Resolutio. Propositionis quatuor distinctionibus declaratur sensus quaesiti.

mentum; implicat enim personalitatem actum circa naturam exercere terminandi, & non tantum in suo ordine principalem; quoniam ut scitè recentiores aduertunt, personalitatem aliquam terminare naturam idem est, quod proprium suum illi esse personale communicare: hoc autem est concurrere ad modum causæ principalis: nam quod se ipso formaliter concurrat, & immediate ac propria virtute & per esse proprium, hoc ipso concurrat ut causa principalis in suo ordine: causa namque instrumentalis, solum ex motione principalis agentis operatur; ergo non est possibile creatam personam terminare naturam alienam, ut instrumentum diuinæ virtutis principaliter operantis.

Tertio recolenda sunt, quæ diximus in 1. p. quest. 39. art. 4. Controu. 1. de duplici in Deo subsistentia, nimirum essentiali & personali; ex quibus tria præcipue ad rem præsentem pertinent. Primum est, essentialem subsistentiam ut in tribus personalibus relationibus intimè clausam per eas modo nostro intelligendi modificari, adeo ut iuxta dictarum relationum pluralitatem, plures ab inuicem distinctæ realiter resultent subsistentiæ personales. Secundum est, essentialiæ diuinæ per se primò conuenire subsistentiam, & per ipsam relationibus & personis; ac proinde personalem subsistentiam modo nostro concipiendi, ex essentiali deriuari & personas diuinas seipsis quidem esse formaliter subsistentes sed hoc habere ab essentia radicaliter. Tertium est, personalem subsistentiam diuinæ personæ, puta Patris dicere perfectionem simpliciter, quatenus subsistentia est; sed quatenus Patris est, abstrahit à perfectione & imperfectione: sic enim dicit relationis respectio; sicut etiam eadem personalis subsistentia ratione inclusæ incommunicabilitatis non dicit perfectionem neque imperfectionem. Tota igitur perfectio, quam subsistentia personalis dicit in Patre, eadem numero est in Filio & Spiritu sancto, ut hic etiam aduertit Caietanus & alij: & ideo non sunt in diuinis realiter distinctæ perfectiones, sed vna tantum; & quia quælibet diuina imperfectio simpliciter est infinita; ideo subsistentia personalis, quæ perfectio simpliciter est, suam habet modo sibi proprio conuenientem infinitatem: hæc autem non est infinitas in essendo, aut in cauendo formaliter, loquendo de subsistentia personali, prout ab essentiali distinguitur; sed in terminando: & sicut ab essentiali subsistentia, quæ per se primò diuinæ conuenit essentiali, deriuantur tanquam ex radice ac primo fonte subsistentiæ personales ad tria supposita relationibus formaliter subsistentibus constituta; ita subsistentiæ personalis infinitas ex infinitate Deitatis & essentialis eius subsistentiæ, velut ex radice ad ipsam personalem subsistentiam, formaliter conuenit, deriuantur, ut hic etiam admonet Caietanus.

Quarto considerandum est, terminare seu suppositare naturam, sicut nullam dicit causalitatem, ut notat hoc in loco Caiet. & latius infra quest. 4. art. 2. Quod nos etiam vberius explicauimus 1. p. qu. 50. art. 2. in 1. Controu. ita nullam de nouo perfectionem adiungit personæ aut subsistentiæ terminanti naturam alienam, quamuis, ut notant recentiores, posse terminare naturam alienam dicat perfectionem in persona vel subsistentia potente eam terminare. Sed obseruandum est aduersus Valent. & alios ex eadem omnino perfe-

ctione, tam secundum rem quam secundum modum seu gradum personæ aut subsistentiæ conuenire, ut possit vnam aliquam extraneam naturam & plures aut etiam infinitas terminare, ut hic asserit cum Durando Caietanus, ob eam causam quod ubi pluralitas non facit differentiam, nec infinitas eam faceret, si infinitas esset possibilis; quod axioma verum est; quando ex eodem principio nascitur possibilitas aut impossibilitas pluralitatis & infinitatis, ut patet ex Aristotele in 4. Physic. text. 76. arguente, si duo corpora possint esse simul in vno loco, non impedirent nec etiam plura aut infinita simul esse prohiberent. Ratio verò propria, cur personalitas creata non possit alienam naturam terminare hæc est: Quia terminat naturam sibi propriam per modum naturalis adæquationis, nec aliam aut alias personalitates continet formaliter aut eminenter, ut possit earum munera vel actus in terminando supplere, sicut potest diuina subsistentia, quæ creatas omnes & creabiles in vna sua simplicissima ratione continet eminenter. Et si dari possit vna creata personalitas, quæ vnam aliam contineret eminenter, id esset, quia superioris ordinis esset ac proinde contineret etiam infinitas ad inferiorem ordinem pertinentes, quarum officia supplere posset in terminando singulas earum naturas. Iam autem ostendimus non posse vnam personam fieri alterius naturæ terminum per modum instrumenti, nec eius perfectionem aut virtutem extendi posse, sed actum personaliter terminandi fieri non posse, nisi per modum causæ principalis.

Quinto obseruandum est, subsistentiam personalem in diuinis dicere perfectionem simpliciter infinitam, ut ostendimus in 1. p. quest. 39. art. 4. Controu. 1. §. Sed iam de triplici. & qu. 28. art. 2. Controu. 1. & 2. Quod etiam hic affirmat Caietanus: Et quamuis infinitas diuinæ personæ non sit in cauendo sed in terminando: ad modum tamen attinet perfectionis simpliciter; nam ut hic ait idem expositor infinitas Dei prout est personæ, dat illi perfectionem infinitam in terminando, quia scilicet non solum est actu terminus diuinæ naturæ, quæ simpliciter est infinita, sed cum omnes tam factarum quam factibilium creaturarum subsistentias & personalitates contineat eminenter, potest infinitas, si tot esse possent, naturas terminare: Quare falsa est Vafq. doctrina, disp. 26. c. 4. negantis, essentialiam diuinam in conceptu relationis includi, & rationem subsistentiæ relationi ab essentia provenire, & relationes personales infinitatem vllam includere: de quibus latè contra eundem expositorem disputauimus in allegata quest. 28. articulo. 2. Controu. 1.

Ex dictis sequitur primò, D. Thom. hic ad 2. rectè ex infinitate diuinæ personæ probasse illi soli proprium esse, ut fiat in ea concursus diuersarum naturarum secundum subsistentiam. Secundo sequitur, Dur. & Cai. bene probasse personæ infinitatem esse necessariam, ut possit subsistere, nedum in propria sed etiam in aliena natura per illud axioma: Vbi plura alia non facit differentiam, nec infinitas haberet differentiam, &c. Tertio sequitur, propriam causam, cur persona creata non possit alienam naturam assumere, aut illi diuinæ virtute copulari, eam esse quam nos adduximus, à qua parum distant illæ, quas adducunt Vafq. & Aluar. Vltimò sequitur, personam creatam neque potentia sua naturali neque potentia Dei ordinaria, neque absoluta vniri posse secundum subsistentiam alteri naturæ.

conclusiones **PRIMA CONCLUSIO:** Infinitas perfectionis diuinae
deducte persona in terminando propria causa est, ut fieri possit
et probatur in ea concursus diuersarum naturarum secundum subsistentiam. Cuius optima probatio est, quam asserunt Durand. & Cai.

SECUNDA CONCLUSIO: Persona creata, nec per naturalem suam virtutem, nec per Dei potentiam ordinariam potest alienam naturam terminare. Probatur primò; quia persona creata non est infinita simpliciter in terminando, nec continet eminenter alias personalitates. Secundò: quoniam alias mysterium Incarnationis non esset miraculum omnium miraculorum. Alias probationes lege apud recentiores.

TERTIA CONCLUSIO: Persona creata non potest per Dei potentiam absolutam vniri alteri naturae secundum subsistentiam. Probatur primò; quoniam implicat contradictionem: esset enim finita & infinita; Deinde non potest vniri, nec ad modum causae instrumentalis, nec ad modum causae principalis, ut probauimus; ergò. Probatio verò Suar. friuola est, ut bene probant Vasq. & Aluar.

CONTRA primam conclus. est argumentum Scoti relatum & solutum à Cai. Cuius solutione impugnatur Vasq. quia ratio terminandi alienam naturam est relatio personalis; quoniam illud est ratio terminandi alienam naturam, quod est proprium personae terminantis naturam ipsam; proprium autem est sola relatio; in conceptu verò relationis non includitur essentia; ac proinde nec vllum genus infinitatis, neque subsistentia provenit relationi ab essentia; quia subsistentia est sola ratio personae, & sola proprietates personalis & sola relatio; ergò infinitas diuinæ personae in terminando non est propria ratio &c. *Resp.* rationem quidem terminandi esse relationem personalem, sed in eius conceptu includi essentiam, ut ostendimus in prima parte, loco notato, & tamen ipsa relatio sic sumpta propria est personae per eam constituta, ut ibi declarauimus: & ideo relationi conuenit infinitas & subsistentia formaliter in eam ab essentia diuina deriuata.

CONTRA eandem conclusionem quo ad secundam partem, scilicet probationem Durandi & Caiet. argumentatur Valen. Maior perfectio requiritur in personalitate ad terminandum plures naturas; ergò infinita perfectio requiritur ad terminandum infinitas naturas; ergò falsa est illa maior Durandi & Caietani. Vbi pluralitas non facit difficultatem, nec infinitas eam facit. *Resp.* falsum esse antecedens videlicet maiorem perfectionem requiri in personalitate ad terminandum tres aut quatuor aut centum naturas, quam duas; quoniam, ut supra diximus, ex eadem causa qua potest duas, potest & tres & decem & centum & etiam infinitas, si tot esse possent, terminare, & è contra, id est, ex eadem causa, qua non potest centum, & infinitas terminare, non potest tres vel duas tantum terminare.

CONTRA secundam concl. sunt dicta Tertul. & Orig. innixa narrationibus scripturarum, quae angelos in assumptis corporibus appellant homines, & quaedam illis tribuunt opera vitae, quibus satisfaciunt Med. Val. Suar. & Vasq. praefer quae, sunt etiam quaedam argumenta, quae profert & soluit Med.

CONTRA tertiam conclus. sunt argumenta, quae referunt & solunt Med. super hoc a. & Aluar. disp. 18. Contra eandem concl. argumentatur Val. quia posset à Deo creari persona finita, quae es-

set altioris ordinis, quam omnes aliae personae creatae; igitur haec posset plures & infinitas etiam naturas terminare. *Resp.* falsum esse antecedens, quia non est possibile dari altiozem ordinem, quam sit ordo creaturae spiritualis, ut ostendimus in 1. p. qu. 50. n. 1. Alia, quae profert idem expositor aduersus hanc conclus. non sunt argum. sed verba.

ARTICVLVS II.

Virum diuina natura conueniat assumere.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod natura diuina non conueniat assumere. Quia, sicut dictum est, assumere dicitur quasi ad se sumere. Sed natura diuina non sumpsit ad se humanam naturam: quia non est facta vnio in natura, sed in persona: sicut supra dictum est. Ergo natura diuina non competit assumere naturam humanam.

Præterea, Natura diuina communis est tribus personis. Si ergo natura conueniat assumere, sequitur quod conueniat tribus personis. Et ita Pater assumpsit naturam humanam, sicut & Filius: quod est erroneum.

Præterea, Assumere est agere. Agere autem conuenit personae, non naturae, quae magis significatur, ut principium, quo agens agit. Ergo assumere conuenit naturae.

Sed contra est, quod August. dicit in libr. de Fide ad Per. illa natura, quae semper genita manet ex Patre, id est, quae est per generationem aeternam accepta à Patre, naturam nostram à matre sine peccato suscipit.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, in verbo Assumptionis duo significantur, scilicet principium actionis, & terminus eius. Esse autem Assumptionis principium, conuenit naturae diuinae secundum seipsam: quia eius virtute Assumptio facta est. Sed esse terminum assumptionis non conuenit naturae diuinae secundum seipsam: sed ratione personae, in qua consideratur. Et ideo primò quidem, & propriissime persona dicitur assumere: secundariò autem potest dici, quod etiam natura assumpsit naturam ad sui personam. Et secundum etiam hunc modum dicitur natura incarnata: non quasi sit in carnem conuersa, sed quia naturam carnis assumpsit. Vnde Damascenus dicit, dicimus naturam Dei incarnatam esse, secundum beatos Athanasium, & Cyrillum.

Ad primum ergo dicendum, quod ly se, est reciprocum, & refert idem suppositum. Natura autem diuina non differt supposito à persona Verbi: & ideo in quantum natura diuina sumit naturam humanam ad personam Verbi, dicitur eam ad se sumere. Sed quia Pater sumat naturam humanam ad personam Verbi, non tamen propter hoc sumit eam ad se quia non est idem suppositum Patris, & Verbi, & ideo non potest dici proprie, quod Pater assumat naturam humanam.

Ad secundum dicendum, quod illud, quod conuenit naturae diuinae secundum se, conuenit tribus personis: sicut bonitas sapientia, & huiusmodi. Sed assumere conuenit ei ratione personae Verbi, sicut dictum est. Et ideo soli illi personae conuenit.

Ad tertium dicendum, quod sicut in Deo idem est, quod est, & quo est: ita etiam in eo idem est, quod agit, & quo agit: quia vnumquodque agit, in quantum est ens. Vnde natura diuina est illud, quo Deus agit, & est ipse Deus agens.

3. d. ff. 4. q. 2. a. 2.

Art. præc.

q. 2. a. 1. & 2.

c. 2. 10. 3.

Lib. 3. ca. 6.

Art. in sym.

bol.

Cyr. in conc.

Chalc. act. 1.

post epist.

Cyr. ad Ios.

Epist. Ant.

Sensus questii.

TRES tituli terminos explicat accuratè Caietanus dicens, *diuinam naturam* hic sumi, non vt significatur per modum naturæ tantum, vt nomine Deitatis, sed etiam vt accipitur per modum subsistentis in natura vt sic; quomodo significatur nomine Dei siue huius Dei, id est Dei, non quasi specificè sed individualiter sumpti. Verum Suarez ait existimare se D. Thom. præcipuè intendere priorem sensum; quia de hoc Deo vt abstrahit à personis, nihil differuit S. Tho. Sed fallitur Suar. qui responsionem ad 3. argum. cui nititur expositio Caiet. nimis apertè dissimulauit; dicendo namque D. Thom. in Deo idem esse quod agit & quo agit; ac proinde naturam diuinam esse quo Deus agit, & ipsum Deum agentem, perspicuè declarat dictum suum in corpore, videlicet esse principium actionis conuenire naturæ diuinæ secundum se ipsam intelligendum esse, non solum de principio quo, sed etiam de principio quod; atque id eo naturam ibi sumi præcipuè vt concretè significatur, & vt sumitur pro hoc Deo habente Deitatem; & eodem modo accipiendam esse naturam in titulo. Et confirmatur: quoniam actiones sunt subsistentium, cum hic quærat de actione assumendi, an naturæ conueniat, de natura per modum subsistentis significata præcipuè debet intelligi: significatur autem, vt subsistens diuina natura per hoc nomen Deus; quia significat eam per modum habentis naturam, siue per modum suppositi, cui propriè conuenit subsistentia.

Suar interpretatio reijcitur.

Forma Textus.

PRIMA CONCLUSIO est: *Primo & propriè siue persona dicitur assumere, secundariè autem potest dici quoddam naturam assumptam ad sui personam.* Probatur; quia in verbo assumptionis duo significantur, scilicet principium actionis & terminus eius: at esse principium actionis conuenit naturæ diuinæ secundum se ipsam; esse verò terminum assumptionis non conuenit naturæ diuinæ secundum se ipsam, sed ratione persone in qua consideratur; ergo primo & propriè siue persona dicitur assumere, &c. Prima propositio patet ex articulo præcedenti. Secunda verò quoad priorem partem probatur: quia virtute naturæ diuinæ assumptionis facta est; posterior verò patet ex articulo præcedente, in quo etiam probatum est personam esse propriè principium assumptionis.

SECUNDA CONCLUSIO. *Natura diuina dicitur incarnata, non quasi sit in carnem conuersa; sed quia natura carnis assumptæ; hæc sequitur ex prædictis.* Et confirmatur autoritate Damasceni dicentis lib. 3. Fid. Orthod. cap. 6. Dicimus naturam Dei incarnatam esse secundum beatos Athanasium & Cyrillum.

Expositio Textus.

NOTANDA sunt primò quæ circa probationem secundæ partis minoris aduertit Cai. & post eum Vasq. in explic. a. & ea quæ circa eandem partem ex SS. Patribus notat Suarez & ante eum Valentia.

Secundò circa dictum Augustini relatum in argum. sed contra duo sunt obseruanda. Primum improprium & in rigore falsum esse locutionem illam *Natura, quæ semper genita manet ex Patre.* Vt patet ex 1. p. qu. 39. ar. 5. & idè S. D. exponit vt sit sensus: *Natura, quæ est per generationem æter-*

A nam accepta à Patre, quæ expositio verissima est.

Sed ea admittit (inquit Suar.) dictum illud Augustini fit inefficax ad posteriorem illam partem minoris comprobendam; quia pari ratione exponi poterit in sensu improprio, dicendo naturam genitam ibi sumptam esse improprie pro persona, vt etiam litteræ contextus indicare videtur; sed huic cauillationi facile satisficit, dicendo primò argumentum illud sed contra, quod pro vera sententia solet adducere S. D. non semper probare veritatem, sed nonnumquam nimis probare, aut etiam falsum concludere, adè vt solutis prioribus argumentis illi etiam in fine respondeat. Proponitur enim illud argumentum, vt alteram etiam partem propositæ difficultatis reddat verissimilem. Secundo dico: D. Augustinum de natura diuina duo dicere: alterum est illam esse genitam, id est per generationem acceptam, vt hic exponit S. D. alterum est eam assumptissem nostram naturam, quorum vtrumque verissimum est, essentiam namque diuinam Filius à Patre per æternam generationem accepit, & eadem essentia vt principium assumptionis naturam nostram assumpsit. Tertiò dico, exposita priori parte in sensu improprio, vt scilicet natura genita stet pro persona, adhuc posterior pars in proprio sensu verissima est, scilicet naturam diuinam assumpsisse naturam nostram ex matre: non enim absurdum est, naturam in duabus eiusdem locutionis partibus variè sumi; quia talia sunt subiecta, qualia permittuntur à prædicatis: prioris verò partis prædicatum, scilicet *genita*, non permittit vt natura assumatur pro essentia, quod tamen permittitur à posterioris partis prædicato, illo videlicet *naturam nostram suscepit*: constat enim non repugnare, sed suo modo conuenire naturæ diuinæ nostram naturam assumere. Postremò dico sufficere, nomen naturæ, & Verbum assumendi siue suscipiendi, vt ex Augustini dicto redderetur apparens opposita veritas, quam S. D. solido probaturus erat argumento; quare debuit abstinere Suar. à censura.

Tertiò circa secundam concl. vide, quæ scribit Med. in vlt. suo dub. super hoc a. Postremò lege quæ scribunt Cai. & Suar. circa responsiones ad argumenta D. Th.

PRIMA CONTROVERSIA.

An persona diuina naturam humanam terminauerit ratione diuinæ essentia, vel alicuius proprietatis, aut perfectionis absoluta, vel ratione proprietatis relationis?

TOTA ferè huius Controversiæ difficultas toritur ex varia Doctorum opinione circa rationem diuinæ subsistentiæ; de qua disputat hic subtiliter & eruditè Caiet. & post eum Med. & Suarez vberimè, *disputatione 11.* Nos de hac re latè differimus in 1. parte, *questione 39. articulo 4. Controu. 1.* Vbi tres Doctorum sententias examinauimus, & solam Caiet. sententiam veram esse probauimus. Et quia Cai. hic & Med. in suo Comm. Et Suar. *disp. 12. sect. 2.* Valen. *puncto 1.* & Vasquez *disp. 26.* & Aluar. *disp. 21.* doctrinam D. Th. in prima Concl. benè declarant & tuentur egregiè; idè propositæ Controu. discussionem, vt minime necessariam omittemus. Quædam tamen erunt in disputationibus Suar. & Vasq. à lectore cauenda.

Nam primò Suarez in allegata *disput. 2. sect. 2. art. 2.* Caiet. asserentem cum Scoto, diuinam relationem,

Suar. explicatione.

Reijcitur.

Sententia Doctorum.

Canium Suar.

nem, vt sic non dicere perfectionem, vix posse vitare quin vel relatio habeat vim terminandi à perfectione absoluta, quam habet ratione essentialis; vel terminet, prout nullam dicit perfectionem: nam si relatio diuina, vt sic nullam dicit perfectionem; ergò non continet eminenter personalitatem creatam: ergò non potest supplere vicem illius; ergò secundum propriam rationem non potest esse terminus huius vnionis. Cui cauationi facile satisficit ex doctrina Caietani hic & in precedenti articulo, dicendo relationes personales dupliciter posse considerari: Vno modo quatenus dicunt ad seu respectum ad terminum, quomodo non sumuntur secundum eorum integritatem & completam rationem: alio modo quatenus sunt personarum constitutivæ, veluti hypostatice formæ; & ita sumuntur secundum perfectam & completam eorum rationem. Cum igitur ait Cai. relationes diuinas vt relationes sunt, nullam dicere perfectionem de eis loquitur priori modo sumptis: sic enim nullam possunt dicere perfectionem, vt ostendimus in 1. parte, quest. 28. ar. 2. Controu. 2. & secundum hanc rationem præcisè sumptam non habet filiatio vt terminet assumptam humanitatem; quoniam vt sic nulla conuenit illi substantia essentialis aut personalis, qua sola potest assumpta natura terminari. Cum autem hic affirmat, Verbum ratione proprietatis suæ personalis humanitatem assumptam terminare, de proprietate seu relatione personali loquitur integrè sumpta, quam in articulo precedente dixerat habere perfectionem infinitam in terminando, & tamen nullam dicere causalitatem: hic autem duo dicit, primum est; Filium subsistere formaliter sua personalitate, quæ est ipsa filiatio. Secundum est; subsistere esse formaliter magis personale quam essentialis in diuinis. Quibus si addamus substantiam formaliter esse perfectionem simpliciter; sequitur euidenter ac necessariò relationem personalem, puta filiationem integrè sumptam dicere perfectionem simpliciter infinitam in terminando; atque ideò continere personalitatem omnem creatam & creabilem eminenter. Et ex his soluitur quædam difficultas, quam idem expostor in fine dictæ disput. proponit, dicens non videri quomodo humanitas Christi possit terminari per relationem, quin Christus vt homo referatur ad patrem; dicendum est enim Christi humanitatem terminari per relationem filij quatenus est substantia personalis seu personalitas ipsius filij; ita vt ratio terminandi conueniat substantiæ & personalitati, vt personalitas est formaliter, relationi verò siue filiationi vt relatio est, quasi materialiter: constat autem substantiam & personalitatem diuinam sub hac ratione personalitatis & substantiæ non dici ad aliud; vt cum August. 7. de Trin. cap. 6. docet S. D. in 1. p. q. 29. a. 4. ad 1. Solutiones autem Suar. lege, si placet, apud eum loc. not.

Deinde aduerte Vasq. c. 2. & 3. imponere Caiet. quòd docuerit in Deo quatuor esse substantias, vnā absolutam & tres relatiuas, quæ est manifesta calumnia: nam, sicut hic Deus non ponit in numerum cum Patre & Filio & Spiritu S. sed tres istæ personæ sunt vnus & idem Deus; sic essentialis substantia non ponit in numerum cum tribus personalibus subsistentijs; eo quòd hæ tres substantiæ personales sint realiter vnæ & eadem essentialis substantia, vt latè cum Caietano declarauimus 1. p. in alleg. Controu. 2. ad a. 4. q. 39. Non sunt ergo quatuor in diuinis subsisten-

tia simpliciter loquendo; quia essentialis substantia à nulla ex personalibus est distincta realiter, & ideò non ponit cum eis in numerum. Cur autem in Deo dicantur absolute quatuor esse relationes; cum spiratio actiua sit eadem realiter paternitati & filiationi diximus in 1. p. qu. 32. a. 2. Cont. 3.

Postremo scito, Suar. disp. 12. sect. 2. imponere Cap. sententiam seu magis errorem Durandi, quem etiam Vasq. disp. 26. ca. 2. tribuit non solum Capr. sed etiam Victoriam & Soto, quos Aluar. in alleg. disp. 21. ab iniuria vindicat.

SECUNDA ET TERTIA CONTROVERSIA.

B **D** VAE aliæ superessent hic proponendæ ac definiendæ Controversiæ, nisi satis ab alijs fuissent examinatæ, ac optimè definitæ. ALTERA est; An per Dei potentiam potuerit aliqua creatura vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate, vt instrumentum attingere? Cuius partem affirmatiuam tenet Suar. disp. 10. sect. 1. dicens pium esse & probabile, Beatissimam Virginem ad dictam vnionem instrumentaliter concurrisse: sed oppositam sententiam solidioribus fundamentis innixam alij recentiores sequuntur; ac præsertim Vasq. disp. 25. ca. 1. & Aluar. disp. 19. ad quos lectorem remittimus. ALTERA Controu. est: An in Christi humanitate ratione mysterij Incarnationis sint Pater & Spiritus S. per concomitantiam? Cuius partem affirmatiuam tuetur Vasq. disp. 28. c. 2. Sed opposita sententia quam sequitur Aluar. disp. 20. longè probabilior est & magis consona doctrinæ D. Th. vt probat hic expostor in alleg. disp. Quam vide si placet.

ARTICVLVS III.

Verum abstracta personalitate per intellectum natura diuina possit assumere.

A D tertium sic proceditur. Videtur, quòd abstracta personalitate per intellectum, natura non possit assumere. Dictum est enim, quòd natura conuenit assumere ratione persone. Sed quod conuenit alicui ratione alicuius, remoto eo, non potest ei conuenire: sicut corpus, quod est visibile ratione coloris, sine colore videri non potest. Ergo abstracta personalitate per intellectum, natura assumere non potest.

Præterea, Assumptio importat terminum Vnionis; vt dictum est. Sed Vnio non potest fieri in natura, sed solum in persona. Ergo abstracta personalitate, natura diuina non potest assumere.

Præterea, In prima parte dictum est: quòd in diuinis abstracta personalitate, nihil manet. Sed assumens quod est aliquid. Ergo abstracta personalitate, non potest diuina natura assumere.

E Sed contra est, quòd in diuinis personalitas dicitur 40. a. 3. citur proprietas personalis: quæ triplex est, scilicet paternitas, filiatio, & processio: vt in prima parte dictum est. Sed remotis his per intellectum, adhuc remanet Dei omnipotentia, per quam est facta Incarnatio: q. 30. a. 2. sicut Angelus dicit Luca primo: Non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Ergo videtur, quòd remota personalitate, natura diuina possit assumere.

Respondeo dicendum, quòd intellectus dupliciter se habet ad diuina. Vno modo, vt cognoscat Deum sicuti est: & sic impossibile est, quòd circumscribar per intellectum aliquid à Deo, & quòd aliud remaneat: quia totum, quod est in Deo, est vnum, salua distinctione personarum: Quarum tamen vnæ tolli-

reliquitur sublata alia, quia distinguuntur solum relationibus, quas oportet esse simul. Alio modo se habet intellectus ad diuina, non quidem quasi cognoscens Deum, ut est, sed per modum suum, scilicet multipliciter & diuissimiliter, quod in Deo est vnum. Et per hunc modum potest intellectus noster intelligere bonitatem, & sapientiam diuinam, & alia huiusmodi, quae dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate, vel filiatione, quae dicuntur personalitates. Et secundum hoc abstracta personalitate per intellectum possumus adhuc intelligere naturam assumentem.

D. 1081.

Ad primum ergo dicendum, quod quia in diuinis idem est quo est, & quod est, quicquid eorum, quae attribuantur Deo in abstracto, secundum se consideretur alijs circumscriptis, erit aliquid subsistens, & per consequens persona, cum sit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc positis proprietatibus personalibus in Deo dicimus tres personas: ita exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra, natura diuina, ut subsistens, & ut persona. Et per hunc modum potest intelligi, quod assumat naturam humanam ratione suae subsistentiae, vel personalitatis.

Ad secundum dicendum, quod etiam circumscriptis per intellectum personalitatibus trium personarum, remanebit in intellectu vna personalitas Dei, ut Iudaei intelligunt, ad quam poterit terminari assumptio, sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi.

Ad tertium dicendum, quod abstracta personalitate per intellectum, dicitur nihil remanere per modum resolutionis: quasi aliud sit, quod subicitur relationi, & aliud ipsa relatio: quia quicquid consideratur in Deo, consideratur ut suppositum subsistens. Potest tamen aliquid eorum, quae dicuntur de Deo, intelligi sine alio, non per modum resolutionis, sed per modum iam dictum.

Sensus quaestii.

SENSVM huius quaestii declarat S. D. in c. & ea explicat optime Cai. & post eum latè Med. & Suar. qui tamen à Cai. videntur in vna praecipua parte dissentire. Ait Cai. hic sermonem esse de abstractione ex parte intellectus tantum, quae personalitates abstrahuntur à natura diuina, non autem qua personalitates abstrahuntur solum ab actu Incarnationis; non autem à natura diuina. Quam sententiam sequuntur Valentia puncto 5. & Porrecta super hoc art. Sed de vtraque abstractione loqui D. Thom. existimant & bonis coniecturis probant Medina & Suar. in suo Comment. ad hunc articulum. Verum vtraque sententia posset facile conciliari dicendo, D. Thom. hic primario & expressè questionem proponere de natura diuina abstractis ab ea personalitatibus, secundario autem & implicite seu virtualiter aliam etiam intendere, quae est de natura diuina abstractis personalitatibus solum ab actu Incarnationis. Nam priorem sensum exprimunt manifestè responsiones ad primum & secundum argumentum: Vbi dicitur ex tali abstractione remanere personam ut Iudaei intelligunt; constat autem ex abstractione personalitatum à solo actu Incarnationis non remanere personam vnā absolutam in Deo ut Iudaei intelligunt: argumentum autem sed contra vtrique sensui potest accommodari: Coniectura verò quam affert Suarez ex modo proponendi quaesitum, friuola est: ait enim in quaesito fieri sensum absolutum, dum quaeritur, an natura possit assumere; si autem quaestio esset de natura, abstractis ab ea personalitatibus quaestio esset conditionalis, &

Coniectura
Suar. friuola.

A quaesitum sic esset proponendum; an posita hypothese quod in natura diuina non essent personalitates relatiuae, posset illa natura assumere naturam creatam? Sed ac coniectura nullius est omnino valoris. Nam eam virtutem, quam data illa hypothese intelligeretur habere tunc diuina natura, necesse est eandem nunc habere, quamuis non intelligatur eam exercere, nisi posita conditione, sicut si dicerem, Caesarem acceptis armis & exercitu posse Pompeium in praelio superare, significo non solum futuram ex hypothese, sed praesentem etiam Caesaris virtutem, quae victor effici possit in praelio: atque ideo posset duplici modo Caesaris virtus exprimi, vel dicendo Caesar acceptis armis potest &c. vel Caesar acceptis armis posset: sic igitur in proposito uti congrue potuit S. D. verbo posuit ad significandam praesentem naturae diuinæ facultatem non nunc, sed posita conditione exercendam, & congrue etiam potuisset uti verbo posset, ad significandam eiusdem naturae potentiam, tunc veluti ad agendum seu terminandum expeditam ob positam in actu conditionem: Rationes verò, quas affert Medina post relatam sententiam Caietani satis probabiles sunt ad suadendum D. Thom. secundum illum sensum secundario & implicite saltem intendisse, & huius articuli doctrina virtualiter & consequenter illum determinasse.

Forma Textus.

PRAEMISSA duplici distinctione: altera formali & explicita, & altera virtuali & implicita responderetur quaesito similiter duplici conclusionem: altera virtuali & implicita, & altera formali & explicita.

Distinctio explicita est Intellectus noster dupliciter se habet ad diuina: Vno modo ut cognoscat Deum sicuti est: Alio modo non quidem quasi cognoscens Deum sicuti est sed per modum suum, scilicet multipliciter & diuissimiliter quod in Deo est vnum.

Secunda distinctio implicita est: Duplex intelligi potest esse abstractio personalitatum à natura diuina, scilicet ex parte rei vnde fit abstractio, & ex parte intellectus tantum. Primum huius distinctionis membrum correspondet primo prioris distinctionis: secundum autem secundo.

PRIMA CONCL. implicita est: Abstractis personalitatibus primo modo, non possumus intelligere naturam assumentem. Probatur, quia impossibile est quod tali modo circumscribatur per intellectum aliquid à Deo, & quod aliud remaneat; ergo. Antecedens probatur; Quia totum quod est in Deo, est vnum salua distinctione personarum; quarum tamen vna tollitur sublata alia; quia distinguuntur solum relationibus, quas oportet esse simul.

SECUNDA CONCL. explicita est: Abstractis personalitatibus secundo modo, possumus intelligere naturam assumentem. Probatur, quia per hunc modum potest intellectus noster intelligere bonitatem & sapientiam diuinam & alia huiusmodi, quae dicuntur essentialia attributa: non intellecta paternitate vel filiatione; ergo abstractis hoc modo personalitatibus, possumus intelligere naturam assumentem.

Expositio Textus.

SUAREZ in Comment. ad hunc articulum expendens Suar. consuevit primam distinctionem tria dicit. Primum est ra distinctionem illam esse veram, quoad hoc quod in illa visione clara non potest videri aliquid

quid in Deo; quin omnia videantur, quæ in illo formaliter sunt: in cognitione autem abstractiva potest vnum ab alio secundum rationem separari. *Secundum* est differentiam hanc non videri multum referre ad præsentem questionem: Quia videns Deum & Deus ipse se comprehensens cognoscit veritatem illius conditionalis: si natura existeret sine relationibus, posset assumere: unde etiam (inquit) in Deo vidente Deum potest esse sufficiens abstractio ad præsentem questionem necessaria: quia hæc non requirit cognitionem vnus sine alio, sed cognitionem propriam huius vnionis, & eius termini formalis; & licet non videat naturam sine personis, videt tamen quid sit proprium naturæ & quid personæ; sicut etiam videt nunc Verbum terminare naturam per relatiuum; non per absolutum non terminando per relationem. & hoc modo potest dici esse in eis sufficiens abstractio ad vtrumque sensum quæstionis; quia illa non consistit in cognitione vnus sine alio, sed in distincta cognitione absoluti & relatiui. *Tertium* est se existimare D. Th. non sine causa distinctionem illam hoc loco promississe, vt in solutione (inquit) ad tertium explicabo: Vbi tamen nullam affert causam, qua necessitas ostendatur illius distinctionis & satisfiat obiectis.

Defensio.

Dico itaque distinctionem illam propositam quæstioni soluendæ & sermoni formali ac scientifico fuisse non solum opportunam, sed etiam maxime necessariam: quæsitum enim præsentis articuli: Vtrum abstracta personalitate per intellectum natura possit assumere, de abstractione formali absque dubio intelligendum est. Cum igitur hæc formalis abstractio, non per omnem cognitionis modum, quo Deus ab homine cognoscitur, effici possit sed per vnum tantum, distinguere debuerunt duo cognitionis modi prout distinguuntur in textu. Et quamuis videns Deum & Deus ipse cognoscat veritatem illius conditionalis: si natura existeret sine relationibus &c. & videat quid sit proprium naturæ & quid sit proprium personæ; ac proinde videre possit & videat, an natura possit terminare per absolutum, non terminando per relationem: hæc tamen non est propriè neque verè & formaliter abstractio, sed virtualiter tantum & æquiuenter, & apud scientificos formaliter & clarè docentes debet ad abstractionem formalem ab homine viatore factam reduci; & ita quæsitum proponi ac definire, quia nec Deus aut Beati per eam cognitionem quid fieri possit intelligunt, nisi quatenus virtualis quædam abstractio est, quæ à Doctore claram planamque doctrinam profitente ad abstractionem formalem est reducenda, & secundum eam iudicanda.

CIRCA probationem primæ conclusionis lege quæ notat Cai. circa primum modum cognitionis & abstractionis.

Aduerte præterea Caiet. & alios expositores nullam in textu probationem secundæ conclusionis agnoscere, nisi eam quæ est in argumento, sed contra, & eam quæ habetur ex solutionibus argumentorum; nobis autem planam litterarum feriem & sensum considerantibus apparet D. Thomam ratione supra posita conclusionem illam probare voluisse. Ad cuius euidentiam scito consequentiam dictæ rationis in duobus fundari. Primum est ratio assumptionis, in qua duo includuntur, scilicet principium & terminus: secundum est collectio omnium perfectionum & attributorum diuinæ naturæ: ex quibus quædam pertinet ad principium, quo fit assumptio, vt o-

A mnipotentia, intellectus, volûtas, sapientia, misericordia & similia ad principium agendi pertinentia: quædam autem spectant ad terminum assumptionis formalem, vt substantia & existentia & substantia sumpta pro substantia prima completa. Cum igitur abstractis secundo abstractionis modo personalitatibus à diuina natura remaneant, tam priores quam posteriores perfectiones & attributa; consequens est cum dicta abstractione posse nos intelligere diuinam naturam assumptentem. Et quia S. D. hæc, quæ facta abstractione remanent, aut etiam in ea resultat, & ad terminum assumptionis pertinent, de quo præcipue est difficultas, in responsionibus ad argumenta erat explicaturus; ideo nec latius explicauit antecedens nec illationem probauit; quia declarato antecedente, vt fit in dictis responsionibus, quo ad eas perfectiones, quæ ad terminum pertinent assumptionis, consequens ex eo sequitur euidenter & necessariò.

Postremò lege, si placet ea quæ circa responsiones ad argumenta scribunt Caiet. Suar. & Porrecta.

CONTROVERSIA VNICA.

An existentibus in Deo tribus personis, possit natura diuina ad essentialem sui subsistentiam creatam naturam assumere; ita vt ad eam solam per se primò terminetur assumptio?

SUPPONIT hæc quæstio, diuinam essentialem concretè sumptam id est hunc Deum esse verè ac propriè subsistentem substantia essentiali à tribus personalibus subsistentijs distincta formaliter illi per se primò conueniente & per eam singulis in Trinitate personis: quæ tamen substantia non est personalitas, vt alibi diximus; cū illi desit incommunicabilitas ad complendam personalitatis rationem necessaria. Queritur ergo: num ad hanc solam subsistentiam potuerit aut possit assumptio terminari? non quomodocunque sed vt ad per se primò terminum: ita vt ad personas non æq; primò & immediatè terminetur: sed vel nullo modo vel secundariò.

Sensum quæstionis, & sententiam Doctorum.

Sententiam negantem tuetur Alensis 3. p. q. 7. memb. 1. a. 2. & 3. & Bonau. in 3. dist. 1. a. 1. q. 3. & Capr. ibidem, q. vnica, a. 1. concl. 4. & a. 3. ad argumenta Dur. contra 4. Concl. & Victoria & Sotus, vt notant recentiores. Quam opinionem sequitur Vasquez negans in Deo communem & absolutam subsistentiam, per quam constituitur indiuiduum Deitatis, id est hic Deus: & ait naturam humanam non posse vniri Deo ratione illius proprietatis communis & essentialis; sed solum singulis personis ratione personalis proprietatis, addens idem apertè docere D. Th. in hoc art.

Dur. affirmat vnionem actu factam fuisse cū hoc Deo; negat tamen Patrem, aut Spiritum sanctum esse hominem, nisi cum addito inquantum Deus. Cuius sententiam latè refert Vasquez dist. 26.

Val. qui cum prædictis negat in Deo communem subsistentiam absolutam mediam inter existentiam per se essentialem & subsistentias relativas personales ait, essentialiam diuinam posse assumere alienam naturam per suam existentiam essentialem per se; quia cum natura pèdeat à personalitate extrinsecè, poterit eius virtus ab essentiali diuina vim personalitatis eminenter præhabere

te suppleri. Qui dicendi modus quo ad hanc partem asserentem posse assumptionem ad solam existentiam terminari placet etiam Asturicensi in *Relect. de Christi gratia, quest. 5. conclus. 3. pag. 460.* Cai. hic affirmat, assumptionem humanitatis ad solam essentialem tribus diuinis personis communem subsistentiam potuisse per se primò terminari. Quam sententiam sequuntur & tuentur Med. *super hoc articulo. Suar. disp. 13. Pefantius in sua Disput. Aluar. in expositione a. & Rada in sua 3. p. Contr. 2.*

Resolatio.

PRÆTER duplicem subsistendi rationem, scilicet absolutam & relatiuam, quam in Deo esse ponendam probauimus loco supra notato, supponenda hic etiam duo sunt. Primum est distinctio subsistentiæ ab existentia, de qua multa diximus 1. p. q. 50. a. 2. Contro. 3. Secundum est, quæstionem hic esse de assumptione terminatiuè possibili ex vi substantialis subsistentiæ præcisè sumptæ; An scilicet considerato Deo prout nunc est; quatenus scilicet vnā habet subsistentiam essentialē & absolutam, & tres personales ac relatiuas, possit assumptio creatæ naturæ per se primò & immediatè ad essentialē subsistentiam terminari; non autem æquè primò & immediatè ad subsistentias personales. Quibus præmissis.

CONSIDERANDUM est primò, differentiam esse inter naturam diuinam vt natura est, & hanc Deum qui est subsistens absolutum in ipsa natura diuina, quod diuina natura vt sic concipitur & significatur vt forma & quidditas & vt qua Deus est Deus; ac proinde quamuis sit realiter & verè subsistens in esse completo & perfectissimo; sic tamen præcisè concepta prout natura est distincta secundum rationem habentem in re eminentissima ac simplicissima fundamentum ab habente naturam, non consideratur vt subsistēs neque vt habens essendi complementum; nec vt principium quod operationis, quod soli subsistenti propriè conuenit; ita vt diuina natura siue Deitas neque generet neque generetur; Deus autem qui est habens diuinam naturam & in ea subsistit & generet & generetur, vt patet ex 1. p. q. 39. a. 4. & 5. igitur à fortiori (vt Cai. ait) in mysterio Incarnationis diuina natura vt natura, nō potest esse terminus assumptionis; quam tamen potest hic Deus, qui est in ipsa Deitate subsistēs, terminare. Probatur Consequentia: Naturam diuinam vt natura est, esse terminum assumptionis est vnionem assumptis & assumptæ naturæ fieri in vna natura, quod esse impossibile probat S. D. in quest. præced. a. 1. Neque cogitari aut fingi potest aliquis modus, quo substantialiter diuina natura vt natura est, se ipsam communicet creatæ naturæ, sicut diuina persona vt persona est, se ipsam communicat substantialiter humanæ naturæ secundum suam propriam personalem subsistentiam. Quod autem ait Val. & postea cum Astur. posse per Dei potentiam absolutam assumi creatam naturam ad solam existentiam essentialē diuinæ naturæ præcisā quacunque subsistentia, tam essentiali quam personali, pluribus argumentis falsum esse probauimus in q. præcedenti, a. 11. Contr. 2. q. 4. Ad cuius ampliorem euidentiam.

Dist. Va.
lenia, &
Asturicen.
reijciunt.

Secundo notandum est, subsistentiam ad naturam comparari vt proprium & vltimum eius complementum, quo fit existentia capax; atque ideo nō solum subsistentiam esse intrinsecam rei subsistenti eo ferè modo quo forma est intrinseca composito; sed etiam naturæ dependentiam à subsistentia intrinsecam esse quodammo-

do ipsi naturæ eo ferè modo, quo dependentia siue habitudo materiæ ad formam intrinseca est ipsi materiæ; ordo namque naturæ ad subsistentiam transcendentis est, nec ab ipsa natura distinguitur; sed idem est quod ipsa natura, quatenus in suam tendit complementum & terminum. Ex quo sequitur, vt natura pendeat à subsistentia primariò, quatenus habet formaliter rationem subsistentiæ; atque ideo necesse est, vt id quod huius termini & complementi munus exercet, siue naturaliter vt propria natura personalitas, siue supernaturaliter vt in mysterio Incarnationis, suppleendo propriam & creatam subsistentiam, hoc ipso rationem habeat subsistentiæ, non virtualiter solum sed etiam formaliter: id enim est formaliter subsistentia, quod formaliter terminat & complet naturam; ita vt sit quod formaliter natura subsistit. Et confirmatur; quia subsistentia vt sic est perfectio simpliciter; atque ideo formaliter Deo conuenit; ergo si creatam supplet subsistentiam terminando naturam, id non præstat nisi per ipsam formalem suam subsistentiam immediatè. Probatur hæc consequentia; quoniam effectus formalis formæ vel se habentis ad modum formæ, non potest esse nisi ab habente formaliter eandem formæ rationem, vt patet in hoc quod est esse album, frigidum, calidum, dulce &c. Constat autem subsistere esse proprium effectum formalem subsistentiæ; ergo non potest esse, nisi ab habente formaliter rationem subsistentiæ. Cum itaque natura diuina aut eius existentia præcisè sumpta, non habeat rationem formaliter subsistentiæ, non poterit eius effectum in natura creatā suppleri; quod si ponatur supplere, hoc ipso tribuitur ei formaliter subsistentia; est igitur impossibile, naturam diuinam vt natura est, assumere creatam naturam ad existentia suæ vnitate. Nunc videndum est; an & quomodo possit hic Deus naturam creatam ad essentialē & absolutam sui subsistentiam assumere? Ad cuius euidentiam.

Tertio considerandum est, subsistentia quatenus subsistentia est per se conuenire esse naturæ terminum & complementum. Cum itaque diuina natura per se primò sibi vendicat essentialē & absolutam subsistentiam infinitam in terminando, ex qua simul cum ipsa natura constituitur hoc subsistens, quod est hic Deus communis Patri & Filio & Spiritui sancto. Consequens est posse creatam naturam per eandem subsistentiam, vt eminenter præhabentem omnem creatam subsistentiam terminari, non minus quā nūc actū sola diuini Verbi personalitate terminetur. Et quia subsistens hoc in natura diuina non habet totam & integram personam vel hypostasis rationem, cum illi desit incommunicabilitas, qua veluti vltima differentia seu conditione completur personam vel hypostasis definitio; ideo sicut hæc vnio non esset in natura, nec in aliquo ad rationem naturæ formaliter pertinentem; ita non esset in persona vel hypostasi propriè & completè sumpta, sed esset per se primò & immediatè in hoc subsistēte in natura diuina, quod est hic Deus: consequenter autem & mediatè vniretur assumpta natura personaliter tribus subsistentibus in eadem Deitate personis; nam sicut hic Deus non est, nisi Pater & Filius & Spiritus sanctus; ita tunc Deus homo non esset nisi Pater & Filius & Spiritus S. Et quemadmodum quicquid Deo conuenit secundum se, conuenit Patri & Filio & Spiritui S. Ita facta tali assumptione; quia Deo secundum se conueniret esse hominem, conueniret etiam cuilibet diuinæ personæ; ita

Poste creatā
naturam ad
essentialē
tribus per-
sonis com-
mune subsiste-
ntia assumi
creaturam
naturam.

næ; ita tamen ut huius assumptionis & vnionis terminus per se primò esset hic Deus; eius verò termini secundarij essent tres personæ modo paulò post explicando, supplereturque tunc naturæ creatæ personalitas per solam essentialem Dei substantiam; quæ personalitas non est sed vim ac perfectionem omnem in se præhabet eminenter creatæ personalitatis. Ex quo sequitur assumptionem & vnionem hanc esse quoddammodo similem illi, quæ facta est in persona Verbi, simpliciter autè esse diuersam ut hic scitè Caietanus aduertit.

Quemadmodum assumptio ad communem naturam hypostasis substantiæ ad ipsam hypostasis substantiæ terminatur.
Sed obseruandum est, cum dicimus assumptionem creatæ naturæ ad essentialē communemque tribus hypostasis substantiam terminari ad ipsas hypostases secundarij, dupliciter intelligi posse; Vno modo ut ipsæ etiam diuinæ personæ secundum proprias suas personalitates terminentur formaliter & immediatè ipsam assumptionem; Quem sensum videtur habuisse Caietanus, cum dixit; considerato utroque termino, scilicet primario & secundario humanæ naturæ assumptione, personalitas propria, qua careret, suppleretur perfectè, quo ad perfectam rationem personalitatis: quam suppletionem non faceret primarius terminus assumptionis secundum se. Si namque diuinæ personæ non ratione suæ personalitatis formaliter & immediatè terminarent dictam assumptionem; sed ratione tantum substantiæ communis essentialis in eis intimè clausæ; ad nullam verè ac propriè dictam personalitatem terminaretur assumptio; ac proinde non posset ex illo secundario termino suppleri creatæ personalitas: Alio itaque modo intelligi potest assumptio illa ad tres diuinas personas terminari ex sola & præcisâ ratione, qua communem & essentialē includunt substantiam; quia nimirum facta per se primò ad communem hanc substantiam assumptione creatæ naturæ fieret etiam consequenter & secundariò ad vnâqueque personarum, non ratione personalis ac relatiuæ substantiæ; sed ratione solum communis substantiæ in qualibet earum inclusæ; in quo sensu futuram tunc secundariò ad personas assumptionem & vnionem Med. Suar. & Aluar. intelligunt & admittunt. Et hic sensus verissimus est: quoniam ex vi assumptionis & vnionis creatæ naturæ ad essentialē Dei substantiam non sequitur assumptio & vnio eiusdem creatæ naturæ cum qualibet aut cum vna aliqua diuina persona secundum propriam & relatiuam eius personalitatem: sed tantum cum qualibet diuina persona; quatenus substantiam habet absolutam, ut argumentorum solutio declarabit. Et probatur etiam; quia substantia illa essentialis & absoluta, quamuis non sit personalitas aut suppositivitas propriè loquendo; quia non est incommunicabilis; vera tamen & realis substantia est prius ac perfectius dicens & claudens modum essendi per se, quam personalitas relatiua; ergò potest ipsa sola absque concursu relatiuæ substantiæ naturam creatam terminare. Et confirmatur; quia licet esse absolutum & esse relatiuū in Deo sint idem realiter; tamen Pater Filio communicat esse absolutum, & non suum esse relatiuū; ergò similiter fieri poterit, ut tres diuinæ personæ communicent assumptæ naturæ substantiam ipsi communem & absolutam, non communicatis eidem proprijs suis relatiuis & personalibus substantijs.

Qui plures probationes desiderat, legat Medinam super hoc articulo, & Suarez in allegata disput. 23. sect. 1. Vbi quatuor obiecta dilu-

endo rem hanc plenè & eruditè declarat. Quod autem facta assumptione creatæ naturæ ad absolutam illam & tribus personis communem substantiam, qualibet earum esset homo, probat hic optime Cai. contra Dur. & latè post eum Med. & Suarez disp. 12. sect. 2. ad quos lectorem remittimus.

PRIMA CONCL. Diuina natura ut natura est, non potest assumere naturam creatam; hæc patet ex dictis. *Conclusiones deducite & probate.*

SECUNDA CONCL. Ad solam præcisè & formaliter sumptam existentiam, prout à substantia distinguitur, non potest assumi creatæ natura; hæc patet ex dictis & latè probata est in loco supra notato.

B TERTIA CONCL. existentibus prout nunc sunt, in Deo tribus personis, possibile fuit naturam diuinam ad essentialē sui substantiam creatam naturam assumere; ita ut ad eam solam per se primò & immediatè terminaretur assumptio; hæc patet ex dictis.

QUARTA CONCL. Facta assumptione naturæ creatæ ad essentialē Dei substantiam intelligitur etiam fieri vnio consequenter, & secundariò ad omnes & singulas in Trinitate personas; non tamen ratione personalis cuiuslibet diuinæ personæ propriæ substantiæ, sed ratione tantum communis, & essentialis substantiæ in singulis personis, & earum substantijs intimè clausæ. & hæc patet ex dictis.

C VLTIMA CONCL. Facta tali assumptione & vnione, non solum hic Deus, sed etiam qualibet persona diuina esset homo; hanc probant Cai. Med. Suar. & alij.

CONTRA primam, & secundam conclus. argumentum. Val. primò: Quia res infinita omnem eam vim creatæ rei virtute sua eminenti supplere potest, à qua res aliqua creatæ extrinsecè pendeat; sed vis personalitatis creatæ, est huiusmodi respectu naturæ quam terminat; ergò potest res infinita, qualis est etiam essentia diuina ut natura, supplere in natura creatæ hanc vim personalitatis creatæ; ita scilicet ut natura peculiari modo per se existat ex vi diuinæ essentiae, tanquā ex vi cuiusdam sui termini substantialis extrinseci.

D Minor patet; quia personalitas creatæ non est quoddam intrinsecum naturæ, sed extrinsecum. Maior probatur dupliciter; primò; quia si vna res penderet ab alia extrinsecè, sicut penderet natura à personalitate, non penderet ab ea, ut ab habente rationem talem; sed primariò tanquā ab habente tantam vim & perfectionem, ut ex vi illius posset existere. Cum ergò res infinita habeat infinitè perfectius & melius omnem eiusmodi vim, poterit virtutem talis rei creatæ supplere; quando verò penderet ab altera intrinsecè, cum penderet ab ea primariò, tanquā ab habente rationem talem, non potest munus eius rei, à qua res altera sic intrinsecè dependet suppleri ab alia re, quæ non habeat formaliter illam ipsam rationem; & idè non potest Deus supplere rei formam neque materiam; cum tamen possit supplere causam efficientem; quia scilicet res à forma & à materia penderet intrinsecè; atque adè primariò, quatenus habet formam vel materiam talem rationem, ex qua res partim constituitur; ab afficiente verò solum extrinsecè penderet; ac proinde primariò quidem, non quatenus causa efficiens habet hanc vel illam rationem, sed quatenus habet vim tantam, quæ scilicet sufficiat ei rei, quæ ab ipsa extrinsecè dependet; vnde fit ut possit ea vis à re infinita, quæ vim eminentiorem

Conclusiones deducite & probate.

Argumenta & solutio- nes. Valentia. Obi. cont. 1. & 2. concl.

tiorem habet suppleris: & eadem ratione potest Deus causam finalem supplere; quia &c. *Secundo* probatur eadem maior; quia neque ex parte rei infinita, ut patet, neque etiam ex parte rei, quae ab altera dependet extrinsece, apparet repugnancia, quominus queat à re infinita suppleri omnis ea vis, à qua dependet res extrinsece; ergo. Antec. probatur; Quoniam eiusmodi vis non est secundum rationem suam formalem (hoc est quatenus est talis) intrinseca essentiae rei ab ipsa dependentis, nulla sequitur implicatio contradictionis, si res existat & non existat per illam vim extrinsecam, & formaliter talem sed per aliam vim eminentiorem.

Sol.

Resp. primo, falsam esse minorem; quia, licet creata personalitas secundum se non sit intrinseca naturae, tamen pars quidditatis ipsius; est tamen intrinseca, ut eius substantiale complementum & terminus, & dici potest intrinseca ratione habitudinis intimae & essentialis, quam habet natura ad personalitatem vel substantiam; sicut forma dici potest intrinseca materiae, quatenus est substantialis eius perfectio, & ratione ordinis essentialis materiae ad formam; & ideo quemadmodum illud solum, quod habet formaliter rationem formae, potest exercere vel supplere effectum formalem formae; ita solum illud, quod est formaliter personalitas vel substantia, potest exercere vel supplere effectum formalem substantiae, qui est terminare naturam, & esse quo natura subsistit. *Secundo dico*, maiorem esse veram de dependentia prorsus extrinseca, qualis est dependentia effectus à causa efficiendi & à causa finali, & in hoc sensu procedunt eius duae probationes.

CONTRA tertiam concl. sunt argumenta quae proferunt & solunt Med. super hoc a. Suar. disp. 12. sect. 2. §. Sed super sunt breues difficultates, & Aluar. in expositione art.

Cont. 3. concl.
Obijcit.
Vasquez.

Cont. 3. concl. *Cōtra eandē conc. argum.* Vasq. *Primo* Quia antiquis Patribus & concilijs cum disputarent contra Eutichetem & Nestorium nullum aliud genus vnionis in mentem venit, quam vnionis in natura & in persona. Et hoc quidem possibile esse dixerunt; illud autem impossibile, ergo. Et confirmatur; quoniam ex eo quod vnio naturae humanae non fuit facta in natura, colligunt factam fuisse in persona ratione proprietatis personalis: ita enim argumentatur Concilium Tolet. II. in confessione fidei. Verba Concilij sunt: Solus tamen filius formam serui accepit in singularitate persona, non in vnitate diuina naturae in id, quod proprium est filio, non quod communi Trinitati. Et hoc eodem modo arguit Ansel. lib. de Incarnatione Verbi, cap. 4. post medium contra quosdam, qui dicebant, Incarnatio filio Dei necesse fuisse Incarnari Patrem & Spiritum sanctum, nisi persona distingueretur à natura realiter; eius Verba sunt: Nam qui recte suscipit eius Incarnationem, credit eum non assumpsisse hominem in vnitate naturae, sed in vnitate personae; hic autem (nempè ille, contra quem scribebat) somniat hominem filio Dei magis esse assumptum in natura vnitate, quam in persona vnitate; si enim hoc non opinaretur, non diceret magis necessarium esse Patrem cum Filio Incarnatum, quam esse possibile illum simul non esse incarnatum; quia sunt plures personae.

Sol.

Respondetur nullam esse consq. quia cum eo tempore nulla fuisset apud Catholicos aut haereticos orta dubitatio aut Controuersia de vnione aut de possibilitate vnionis naturae creatae cum hoc Deo ut essentialiter subsistente; sed tota eorum quaestio esset; an facta fuisset hac vnio

in persona vel in natura ut natura est ideo non fuit necesse Patres aut Concilia de hoc vnionis modo, de quo nunc agimus, meminisse; quem tamen esse possibilem non obscure significauerunt ex ijs, quae de modo vnionis humanae naturae cum diuina personae subsistentia tradiderunt. *Ad confirmationem dico primo*, non bene colligi ex verbis Concilij talem arguendi formam. *Secundo dico*, bene procedere formam illam argumentandi supposita quaestione illa tantum bimembri inter Catholicos & haereticos; quibus essentialis illa subsistentia erat ignota; aut saltem de vnione humanitatis cum illa nihil opinabantur. *Tertio dico*, bonam esse consequentiam hanc: vnio non est facta in natura; ergo facta est in persona ratione proprietatis personalis, si in antecedente sumatur natura, prout distinguitur contra personam; sic enim natura dicitur non solum Deitas; sed etiam hic Deus tribus personis communis. Et per hoc soluitur etiam argumentum desumptum ex verbis Anselmi; nam si facta est vnio humanitatis substantialis cum Deo, non est facta in natura prout distinguitur contra personam propriè & completè sumptam, necesse est factam fuisse in persona ratione proprietatis personalis; è contra verò, si facta fuisset in natura siue abstractè siue concretè sumpta, facta necessariò fuisset cum tribus etiam personis.

Ad conf.

Alia huius expositoris argumenta confutauimus in prima parte, loco supra notato, & quaedam etiam diluuntur ex ijs, quae supra notata sunt; nec D. Th. ut ait Vasq. illi fauet, sed nobis ut patet ex responsione ad primum a. sequentis addita expositione Cai.

CONTRA quartam & quintam conclusionem sunt argumenta Dur. relata & soluta partim à Caietano, partim à Suar. in dicto. §. sed supersunt &c.

ARTICVLVS IV.

Virum vna persona possit sine alia naturam creatam assumere.

Ad quartam sic proceditur. Videtur, quod vna persona non possit assumere naturam creatam alia non assumente. Indivisa enim sunt opera Trinitatis: ut dicit Aug. in Enchir. sicut autem trium personarum est vna essentia, ita & vna operatio. Sed assumere est operatio quadam. Ergo non potest conuenire vni personae diuinae, quin conueniat alij.

Præterea, Sicut dicimus personam Filij incarnatam, ita & naturam: tota enim diuina natura in vna suarum hypostasum incarnata est: ut dicit Damasc. cap. 6. in 3. lib. Sed natura communis est tribus personis: ergo, & assumptio.

Præterea, Sicut humana natura in Christo assumpta est à Deo, ita etiam & homines per gratiam assumuntur ab ipso; secundum illud Rom. 14. Deus illum assumpsit. Sed hac assumptio communiter pertinet ad omnes personas: ergo, & prima.

Sed contra est, quod Dionys. 2. cap. de Diuin. nom. Incarnationis mysterium dicit pertinere ad discretam Theologiam: secundum quam scilicet aliquid distinctum dicitur de diuinis, personis.

Respondendo dicendum, quod (sicut dictum est) assumptio duo importat, scilicet actum assumentis, & terminum assumptionis. Actus autem assumentis procedit ex diuina virtute, quae communis est tribus personis, sed terminus assumptionis est persona, sicut dictum est.

Actum est. Et ideo id, quod est actionis in assumptione, commune est tribus personis: sed id, quod pertinet ad rationem termini, conuenit ita vni personae, quod non alij. Tres enim personae fecerunt, vt humana natura vniretur vni personae Filij.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit ex parte operationis. Et sequeretur conclusio, si solam illam operationem importaret, absque termino, qui est persona.

Ad secundum dicendum, quod natura dicitur incarnata, sicut & assumens ratione personae, ad quam terminata est vnio (sicut dictum est) non autem, prout est communis tribus personis. Dicitur autem tota natura diuina incarnata: non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione diuinae naturae, personae incarnatae.

Ad tertium dicendum, quod assumptio, quae fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quandam participationem diuinae naturae secundum assimilationem ad bonitatem illius: secundum illud 2. Pet. 1. Vt diuinae consortes naturae, &c. Et ideo huiusmodi assumptio communis est tribus personis, & ex parte principij, & ex parte termini. Sed assumptio, quae est per gratiam Vnionis est communis ex parte principij, non autem ex parte termini: vt dictum est.

Sensus quaestii.

QVAESTIO est de assumere, quod absolute & simpliciter possit enunciari de vna persona & de alijs negari; hoc autem est assumere integre sumptum, siue secundum totam eius rationem; quatenus scilicet dicit non solum actum sed etiam terminum assumptionis. Et quaestio est non solum de possibili, sed etiam de facto: an scilicet sola persona Verbi potuerit creatam naturam assumere, ita vt actu sola fuerit incarnata.

Forma Textus.

PRAEMISSA ratione assumptionis respondetur quaestio duabus conclusionibus. Ratio assumptionis duo importat (inquit S. D.) scilicet actum assumptionis & terminum assumptionis.

PRIMA CONCL. est: Id quod est actionis in assumptione, commune est tribus personis. Probatur, quia actus assumendi nomine assumptionis importatus procedit ex diuina virtute, quae communis est tribus personis; ergo id quod est actionis &c.

SECUNDA CONCL. Id quod pertinet ad rationem termini, conuenit ita vni personae, quod non alteri; Probatur, quia terminus assumptionis est persona; ergo. Deinde probatur ambe conclusiones simul; quia tres personae fecerunt, vt humana natura vniretur vni personae filij.

Expositio Textus.

QUINQUE ad huius articuli intelligentiam & veritatis confirmationem sunt notanda. Primum est, ex duabus supra positis conclusionibus, & earum probationibus deduci conclusionem directe quaesito respondentem, videlicet: vna persona potest sine alia creatam naturam assumere, vt hic aduertit Cai. & post eum Vasquez. Secundum est: Concl. hanc esse fidei dogma, quod ex Concilijs & scripturis probat Magister Porrecta addita autoritate Dionysij ex argumento, sed contra. Tertium est: Val. hic referre puncto 2. quendam Clericum in Gallia temporibus D. Anselmi oppositum huius conclusionis docu-

isse, & eius errorem in Concilio primo Remensi damnatum fuisse. Sed non fuit hic error dicti Clerici, sed alius nempe diuinam naturam a personis realiter esse distinctam; ad cuius erroris probationem hoc utebatur argumento; quia si esset eadem res natura & persona, sequeretur incarnata vna persona, alias etiam incarnatas fuisse, vt notat Vasq. disp. 28. cap. 1. Quartum est, Val. & Vasq. locis allegatis proferre & soluere quaedam argumenta; quibus posset catholica veritas secundae conclusionis impugnari. Quintum est circa respons. ad primum, ex qua deducit Cai. doctrinam de assumptione naturae creatae ab hoc Deo tribus personis communi consonam esse menti D. T. cum enim ait, rationem illam: sicut trium personarum est vna essentia, ita & vna operatio &c. procedere ex parte operationis, & quod sequeretur conclusio, si solam illam operationem importaret absque termino, qui est persona, satis aperte significat, quod si assumptio non importaret personam vt terminum, esset communis tribus personis: constat autem facta abstractione personarum ab essentia per actum Incarnationis modo superius explicato, assumptionis terminum non esse personam, sed hunc Deum; igitur tunc assumptio communis esset tribus personis secundum doctrinam D. Th. Sed ait Suar. verba illa: Qui est persona, non esse addita per modum restrictionis, sed ad explicandum cur ex parte termini possit vnio esse propria & non communis omnibus personis; videlicet quia ille terminus est persona. Sed quamuis haec expositio sit probabilis; male tamen & absque ratione rejicitur expositio Caiet. quae probabilior est, & cui fauet etiam doctrina praecedentis articuli, & ea quam alibi tradit S. D. de subsistentia essentiali, cui non magis quam personali repugnat; sed æquè congruit esse posse terminum creatae naturae, vt patet ex praecedenti Contr.

CONTROVERSIA VNICA.

D An Pater & Spiritus Sanctus fuerint in Christi humanitate per concomitantiam, non solum ratione operationis, sed etiam speciali quadam alia ratione?

RADA in sua 3. p. Contr. 1. sententiam sequitur negantem, quam ait esse communio-Doctorem. tur negantem, quam ait esse communio-Doctorem. rem & probabilior: & deducit eam ex quodam discursu Scoti in 3. dist. 2. q. 2. littera A. Sed oppositam sententiam tenuit Gabriel lect. 42. super Can. concl. 2. Maior in q. 4. dist. 11. q. 1. a. 3. & Viguerius in instr. Theol. c. 6. §. 3. v. 4. Quam sequitur Suar. disp. 12. sect. 1. & Vasq. disp. 28. a. 2. dicens, se primum eas Patrum sententias collegisse, quibus utitur Suar. ad suam hanc opinionem comprobendam.

SYPPONENDA sunt hic primo ea, quae late diximus de existentia Dei in rebus 1. p. q. 43. a. 3. q. 8. a. 1. Controu. 1. & 2. & Controu. vnica. Cuius enim trium diuinarum personarum sit vna virtus & operatio, necesse est operationem illam qua Deus vnquamque rem ex nihilo produxit, & productam in esse conseruat, esse tribus in Deo personis rationem in omnibus rebus à Deo creatis & conseruatis æqualiter existendi. Et quia gratia & gloria sanctis à Deo collata vnus est tribus personis communis effectus, quae ad vnū etiam pertinent cognitionis & amoris obiectū: ideo secundum hunc etiam peculiarem modum,

quo Deus existit in rationali creatura per gratiā, & habitat in ea sicut in templo; tres etiam æqualiter sunt in ea diuinæ personæ.

Secundo supponenda sunt ea quæ de modis, quibus vna persona existit in alia, docet S. Th. 1. p. q. 42. a. 5. & ibi Cai. & alij expositores Thomistæ: ex quibus primus & præcipuus est modus, quo vna persona existit in alia per identitatem essentialiæ. Cum enim pater sit sua essentiali, & hæc sit in Filio & in Spiritu S. necesse est etiam Patrem esse in Filio & in Spiritu Sancto & eadem ratione probatur Filium esse in Patre & in Spiritu sancto, & Spiritum sanctum in Patre & Filio.

Tertio Recolenda sunt, quæ diximus in eadem 1. p. q. 39. a. 4. *Controu. 1.* Vbi probauimus, in qualibet diuina persona duplicem esse subsistentiam; alteram essentiali & alteram personalem, & illam scilicet essentiali in tribus personalibus proprietatibus intimè claudere, & per eas modo nostro intelligendi modificari; ita vt iuxta distinctionem & pluralitatem earum plures atque distinctæ resistent subsistentiæ personales: adeo, vt essentialis subsistentia, prout includitur in paternitate, & per eam modificatur, sit formaliter ipsa personalis subsistentia patris. Et eadem ratione, prout intimè clauditur in filiatione, & per eam modificatur sit personalis subsistentia filij.

Quarto considerandum est, personam filij per se primò terminare naturam assumptam ratione suæ propriæ subsistentiæ personalis. Et quoniam, vt ante diximus, in personali subsistentia clauditur essentialis intimè & in ea modificatur; necesse est etiam, vt persona filij quasi secundariò eandem terminet humanitatem ratione essentialis subsistentiæ, nõ quidem absolute sumptæ; sed prout in personali filij subsistentia clauditur. Cum enim in subsistentia filij duo sint; Primum vt sit subsistentia: Secundum vt sit talis personæ scilicet filij, duo pariter alia sunt in humanitate terminata consideranda: Primò quod subsistit: Secundum quod tali subsistentia scilicet Verbi subsistit: & sicut hoc secundum ex illo secundo dependet, sic illud primum ex illo primo deriuatur. Sed quia terminus dicit rationem vltimi, & terminus vltimus naturæ est ipsius naturæ complementum; ideo terminare assumptam naturam, non solum per se primò; sed etiam propriè & absolute loquendo soli conuenit subsistentiæ personali; quoniam ea sola ratione habet vltimi, & per eam completur, non solum assumpta natura, sed etiam essentialis subsistentia in ratione suppositi siue personæ. Cum enim de ratione suppositi vel personæ sit incommunicabilitas, vt vltimum eius complementum, quod essentiali subsistentiæ secundum se considerata non conuenit: non habet essentialis subsistentia rationem suppositi vel personæ, nisi incomplexè: addita verò personali proprietate, quæ ratio est personaliter subsistendi, completur ratio suppositi vel personæ; ac proinde etiam ratio termini: & ideo soli personali subsistentiæ non autem essentiali, propriè & absolute conuenit naturam assumptam terminare: Sed quamuis essentialis subsistentia propriè & simpliciter non terminet assumptam naturam; quia sic quilibet diuina persona esset homo; concurrir tamen suo quodam modo ad terminandum, eo ferè modo quo animal seu sensibile concurrir ad hominem constituendum, licet hominis constitutio propriè & absolute tribuatur rationali & vltimæ differentiæ. In personali namque Verbi

A subsistentia naturam humanam terminante duo sunt, scilicet subsistentia & personalitas seu proprietas personalis, & in assumpta natura duo sunt scilicet subsistere & subsistere tali subsistentia scilicet Verbi personalitate. Itaque reducendo more Metaphysico proprios effectus in proprias causas seu principia, subsistere humanitatis, vt subsistere est, reducitur vt in propriam causam seu principium aut rationem in subsistentiam Verbi vt subsistentia est: subsistere verò subsistentia Verbi personali reducitur vt in propriam causam seu rationem in subsistentiam Verbi personalem vt sic. Et sicut Verbi subsistentia personalis præcisè sumpta non terminat assumptam humanitatem, sed quatenus etiam intimè claudit subsistentiam essentiali, ita & multò magis essentiali subsistentiæ non conuenit terminare, nisi quatenus per additam personalem proprietatem, quæ est ratio personaliter subsistendi, constituitur subsistentia personalis & hypostasis seu persona. Sed quoniam in personali subsistentia clauditur essentialis & non è contra, & personalis subsistentia, vltimum habet in ratione subsistentiæ complementum: ideo ratio terminandi non solum primò sed etiam propriè & absolute personali subsistentiæ tribuenda est; essentiali verò subsistentiæ, neque secundariò propriè loquendo conuenit assumptam à Verbo naturam terminare; quamuis vt supra dixi quasi secundariò terminet ob supradictam reductionem effectuum in proprias causas seu rationes. Sed quoniam subsistentia, vt sic non habet rationem vltimi, sed completur & quasi terminatur proprietate personali, vt ratione personaliter subsistendi: ideo sola personalis subsistentia rationem habet vltimi & termini respectu assumptæ humanitatis, de Incarnatione & assumptione loquendo prout actus facta est: potuisset enim vt supra diximus cum Cai. & alijs, assumptio fieri ad solam essentiali subsistentiam, & tunc essentialis subsistentia rationem haberet & exerceret vltimi termini; non quia rationem haberet completè suppositi vel personæ; sed quia suppleret excellenter munus creatæ personalitatis, vt diximus in propria Controu. Quoniam igitur essentialis subsistentia tribus diuinis personis communis modo supra dicto concurrir ad assumptam à Verbo humanitatem terminandam; ita vt formaliter ad ipsam rationem termini, quatenus terminus est pertinens; consequens necessariò est, vt Pater & Spiritus S. qui realiter idem sunt, quod essentialis illa subsistentia, sint speciali ratione in Christi humanitate, scilicet ratione mysterij Incarnationis factæ in persona filij, ita vt si per impossibile non esset in ea, nec in alijs rebus per immensitatem, siue per operationem, adhuc essent in ea ratione dicti mysterij: Quemadmodum enim tres diuinæ personæ sunt in omnibus rebus per essentialitatem; quia earum omnium vna est essentiali, & operatio & ipsæ sunt vnum agens in rebus intimè operans, ita sunt omnes in Christi humanitate ratione mysterij Incarnationis; quia earum omnium vna est essentialis subsistentia ad formalem assumptionis & vnionis terminum formaliter pertinens modo dicto. Et quoniam vt dictum est vna persona est in alia; ideo vbicumque est vna ibi est alia; nec potest vna persona ex vi peculiaris vnionis fieri præsens alicui naturæ, quin alia diuinæ personæ fiant eidem naturæ præsentem, non quidem vt eodem modo illi naturæ coniunctæ, sed per concomitantiam ob realem & naturalem existentiam, quam habent in illa vna persona sic vnita. Quod exemplo ex anima nostra

Astra desumpto declaratur: hæc enim per vnionem ad corpus vt forma substantialis ad propriam suam materiam sit præsens omnibus eius partibus: & quoniam intellectus & voluntas sunt in anima, consequens fit vt vbique est anima, sint etiam ibi præsentem intellectus & voluntas; quamuis non eodem vnionis vinculo, quo anima corpori coniunguntur; quia non sunt corporis formæ. Et hoc est quod Augustinus non minus profundè quàm eleganter expressit in sermone tertio de tempore. Vbi sic loquitur: *Filius suscepit carnem, & non deseruit Patrem, nec se diuisit à Patre: suscepit (inquam) filius carnem proprietate; sed tamen Pater & Spiritus sanctus non desuit maiestate: in diuinitate equalitas, in carne sola Filius proprietate; non tamen ab eo Pater aut Spiritus sancti recessit aliquando diuinitas: cum ergo vna sit Deitas, vna sit diuinitas, impleuit quidem carnem Christi, & Pater & Spiritus sanctus, sed maiestate non susceptione. Vis scire; quia cum eo fuit & Pater? non sum (inquit) Dominus Iesus Christus solus, sed Pater mecum est: Audi de Spiritu sancto quia cum eo erat, Euangelista refert; quia Iesus plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane: Ecce sic solus Iesus Christus suscepit carnem, & tamen Pater & Spiritus sanctus non desuit maiestate.* His addamus modum hunc existendi personarum in humanitate ab vna persona Verbi tantum assumpta esse omninò distinctum & longè diuersum ab eo, quo tres personæ per operationem tanquam vnum agens sunt in omnibus rebus intimè; ita vt præcisò per intellectum à diuinis personis hoc modo in rebus existendi, remaneat adhuc ille alius, quo per hypostaticam vnionem vnus personæ cum humanitate, aliæ duæ personæ non quidem per vnionem earum personalem, sed per concomitantiam specialiter sunt in eadem humanitate ob earum consubstantialitatem cum persona humanitati personaliter vnita. Et quemadmodum ratione Incarnationis factæ in vna persona filij dicuntur Pater & Spiritus S. esse speciali modo in ipsa filij humanitate per concomitantiam, ita dici rectè possunt speciali modo in vtero Virginis extitisse; cum tamen sola persona Filij ibi fuisse dicatur vt concepta, sicut sola verè dicitur incarnata. Consistit autem hæc præsentia Patris & Spiritus S. in humanitate in duobus iam superius explicatis. Primum est inexistencia Patris & Spiritus sancti secundum identitatem essentia in persona filij vnita personaliter humanitati. Secundum est concursus earundem personarum secundum essentialem subsistentiam in terminando modo dicto.

Quintò notandum est Patrem & Spiritum sanctum esse per concomitantiam, non solum in Christi humanitate secundum eius modum essendi naturalem; sed etiam prout est in Sacramento; sed non eodem concomitantia modo. Ad cuius euidentiam aduerte, dupliciter aliquid esse in Sacramento per concomitantiam, scilicet immediatè & mediatè. *Primo modo* illud dicitur ibi esse, quod immediate est vnium illi, quod est ibi per se & primò id est ex vi verborum; & sic anima est immediatè per concomitantiam sub speciebus panis; quia hæc immediatè cōiuncta sunt corpori. *Secundo verò modo* illud est in Sacramento per concomitantiam, quod ibi est propter coniunctionem eius cum eo, quod illi vnium est immediatè, cui per se primò & ex vi verborum conuenit esse in Sacramento: & hoc modo gratia & charitas animæ Christi sunt in Sacramento per concomitantiam; quia ibi sunt vt inhærentia animæ, quæ corpori coniungi-

Naz. in D. Tho. 3. partem

A tur immediatè, quod per se primò & ex vi verborum est in Sacramento. Cum itaque Verbum sit vnium corpori immediatè, erit etiam in Sacramento per concomitantiam immediatè: Pater autem & Spiritus sanctus non immediatè vniantur humanitati vel corpori sicut Verbum, sed tantum consubstantiales Verbo, quod immediatè vnium est corpori secundum subsistentiam; & ideo non sunt ibi per concomitantiam immediatè sed mediatè: In humanitate verò secundum modum eius essendi naturalem, quem habent extra Sacramentum, sunt per concomitantiam immediatè; quia sunt ibi propter immediatam vnionem secundum identitatem essentia, quam habent cum persona Filij, quæ per se ipsa immediatè & ex vi Incarnationis per se primò vnium humanitati.

PRIMA CONCL. Pater & Spiritus S. speciali cōclusionem, modo scilicet ratione mysterij Incarnationis sunt in deductæ, & Christi humanitate. Conclusionem hanc probant probatæ.

Suarez & Vasquez multis SS. Patrum testimonijs. Ex quibus duo præcipua sunt. Primum est illud quod ex Augustino supra notauimus. Secundum est ex Cyrillo, cuius dicta latè refert Vasq. cap. 28. Porro Basilii in Epistola 43. rem hanc eleganter explicat exemplo catenæ de Spiritu Sancto sic loquens: *Et quoniam Christi Spiritus teste Paulo, ex Deo est, fit, vt quemadmodum in catena, qui vnus annuli summam apprehendit, hoc ipso simul, & alterum insertum attrahit, ita & hic, qui Spiritum habuit trahit, vt propheta (inquit) per ipsum & Filium & Patrem vna simul attraxit, & si quis verè Filium apprehenderit habebit, & ipsum vtrinque, hinc Patrem illius, hinc Spiritum sanctum vna compactum, &c.*

Sed ait Rada ex hac autoritate non plus haberi, quàm quod personæ diuinæ secundum essentiam non separantur, nec quantum ad inexistenciam vnus in alia, nec Basilium aliud voluisse, quàm ostendere inseparabilitatem personarum à se, & in se inuicem, vel quod si quis quantum ad operationem aliquam habet Patrem, habet & alias personas; quia quod ad actionem ad extra sunt inseparabiles; sed iam ostendimus, præcisà à diuinis personis immensitate & præsentia per operationem sequi ex hoc, quod vna diuina persona est in alia per identitatem essentia, Patrem & Spiritum Sanctum esse speciali modo in Christi humanitate; quare non videtur hic author satis intelligere propriam vocem. Si namque diuinæ personæ non separantur propter identitatem essentia, & propter inexistenciam vnus in alia, sequitur identitatem essentialem & existentiam, præcisà etiam immensitate & operatione, esse sufficientem rationem, vt vbi est vna persona, ibi sint etiam aliæ, saltem per concomitantiam; atque ideo, si vna persona singulari modo, puta per vnionem personalem, sicut in proposito persona Verbi est in humanitate: consequens est ibi, non quidem per vnionem, secundum proprias personalitates, sed per concomitantiam esse duas alias personas, puta Patrem & Spiritum sanctum, qui modi essendi in ea humanitate; cum non pertineat ad immensitatem vel operationem, alius quidam modus est singularis ab eo distinctus.

SECUNDA CONCL. Pater & Spiritus Sanctus duplici ratione modum habent specialem existendi in Christi humanitate. Prima est eorum consubstantialitas cum Verbo, quod personaliter est vnium humanitati. Secunda est essentialis subsistentia tribus personis communis suo modo concurrens ad terminandum

Replica.

Refutatio.

X

dam

dam & sustentandam humanitatem. Hæc patet ex dictis.

ULTIMA CONCL. Pater & Spiritus Sanctus sunt per concomitantiam immediatè in Christi humanitate; in Sacramento verò Eucharistia sunt per concomitantiam mediatè solum. Hæc patet ex dictis.

Argum. & solutiones. Obi. cons. 1. concl.

CONTRA primam concl. argumentatur Rada. Primò: quia Verbum existit in humanitate, vt suppositum in natura, sed ex hac inexistèntia non licet inferre modum existendi peculiarem aliarum personarum in humanitate; ergo nec ex vnione hypostatica. Conseq. cum maiori est nota. Minor probatur primò: quia Verbum suppositat in se naturam humanam, non per aliquid commune tribus; sed per aliquid proprium, scilicet per propriam personalitatem; at aliæ personæ ad Verbum quatenus persona est & suppositum, nō pertinent; imò vt sic ab eo separantur seu distinguuntur; ergo ex inexistèntia Verbi in humanitate per modum suppositi non licet inferre peculiarem modum inexistendi aliarum personarum. Secundo probatur eadem minor; nam si ex vi inexistèntiæ Verbi in humanitate per modum suppositi præcisè infertur alias duas personas esse ibi modo speciali; ergo hic modus debet referri ad modum existendi in humanitate per modum suppositi; sed consequens est falsum; quia tunc aliæ personæ primò vel concomitanter suppositarent naturam assumptam; quod est plusquam falsum; ergo ex vi vnionis Pater & Spiritus sanctus non sunt in humanitate aliquo speciali modo. Prima consequentia probatur, tū ratione tū exēplo. Ratio est; quia vis & naturalis existentiæ id requirit; ergo: Antecedens probatur; quoniam hæc est existèntia personalis ex vnione hypostatica proueniens; ergo exposcit ex ratione sua, quod ea quæ ex vi eius sunt in humanitate, hypostaticè ei vniantur, saltem si ex prima eius vi ibi existunt; si verò concomitanter requirit quod personæ primò vnitæ infint, vel tanquam natura vel tanquam aliqua sibi connexa & in eadem persona coniuncta: at Pater & Spiritus sanctus neutro modo Verbo cōnectuntur, vt satis patet; ergo ex vi vnionis nō sunt in humanitate, nec primò nec concomitanter. Simile est in Sacramento altaris; nam quæ ibi existunt ex vi Sacramenti primò vel concomitanter, sunt ibi Sacramentaliter; ergo quæ sunt in humanitate assumpta ex vi vnionis primò vel concomitanter, debent esse ei hypostaticè vnita. Confirmatur hæc omnia; quia quæ cōcomitanter existunt in Sacramento, ea sunt, quæ in eadem persona ipsi Christo coniunguntur, cuiusmodi sunt proprietates vtriusque naturæ contra personalia distinctæ. Tertiò probatur eadē minor; quia modus existendi personalis in humanitate assumpta Verbo competens, nec per se nec concomitanter requirit alias personas diuinas; ergo ex vi talis existentiæ Verbi, non licet inferre alias personas ibi esse primò vel concomitanter. Consequentia est nota. Antecedens probatur & primo, quod non requirat eas per se patet; quia persona Verbi non includit in se intrinsecè personam Patris nec Spiritus sancti; quia non sunt de ratione eius personalis; imò sic ab eis distinguitur, & quasi à se excludit, à communionem videlicet eiusdem personæ, nec requirit eas concomitanter; quia non cōnectuntur in eadem persona, imò ab ea personaliter secernuntur; ergo. Et confirmatur; quia Verbum ita perfectæ persona est in se, etiam si sola esset, sicut cum alijs; ergo ex ratione personæ non se-

quirit illas; ergo cum in humanitate sit sicut suppositum & persona in natura; sequitur quod ex vi existentiæ non potest concludi existèntia aliarum personarum, etiam per concomitantiam; nam etli sint inter se connexæ & inseparabiles, tū ratione naturæ, tū ratione inexistèntiæ vnus in alia; tamen quo ad istum modū personandi humanam naturam nullam connexionem habent; cum Verbum per sibi proprium & quatenus ab alijs distinctum, supponit naturam humanam; ergo quamuis ex inexistèntia personæ Verbi in humanitate inferatur esse in Verbo personante humanitatem alias personas propter inexistèntiam earum in se inuicem; non tamen infertur peculiaris modus existendi in humanitate; quoniam hic conuenit Verbo per sibi proprium. Resp. falsam esse minorem: Ad primam probationem negatur consequentia; nam sequitur solum, alias personas non esse in humanitate per earum vnionem personalem sicut Verbum; quia licet aliæ personæ secundum suas proprietates personales ad personam Verbi vt suppositum est, non pertineant, sed ab ea distinguantur: ad eam tamen pertinent ratione communis naturæ, propter quam non possunt ab ea separari. Secundo dico, licet Verbum non supponit naturam per aliquid commune tribus; requirit tamen subsistentiam tribus communem, quæ suo modo concurrat ad suppositandum, vt ante diximus. Ad secundam probationem negatur prima consequentia; Ad eius probationem negatur antecedens: ad cuius probationem negatur cōsequētia, quo ad secundā partem consequentis, illam scilicet. Si verò concomitanter, &c. quia satis est, si per identitatem essentiæ infint personæ, quæ primò est vnita. Ad argumentum ex sacramento altaris, negatur consequentia; nam sequitur tantum, personas, quæ sunt in humanitate concomitanter ad vnionem personæ Verbi, esse ibi secundum modum essendi naturalem, prout modus essendi naturalis distinguitur contra modum essendi Sacramentalem. Ad confirmationem dico, non illa tantum, sed etiam personam Patris & Spiritus Sancti ob identitatem essentiæ cum persona filij esse in Sacramento per concomitantiam, nō quidem immediatè sed mediatè, vt supra declarauimus.

Ad tertiam probationem minoris negatur antecedens. Ad eius probationem dico, modum illum vnionis requirere alias personas concomitanter: Ad impugnationem negatur consequentia; quia sufficit connexio in eadem essentia. Ad confirmationem negatur prima consequentia: Sed potius sequitur oppositum: primò: quia perfectio personæ Verbi necessariò includit essentiam duabus alijs personis communem: & inde ex ratione personæ, quatenus intimè claudit essentiam, aliarum personarum sibi vendicat concomitantiam. Secundo; quia persona Verbi terminat humanam naturam ratione subsistentiæ personalis, quatenus includit subsistentiam essentialem suo modo concurrentem ad terminandum, vt supra diximus. Et quamuis ex vnione Verbi cum humanitate non inferatur specialis modus existendi in humanitate aliarum personarum, qui sit eiusdem rationis cum eo modo, quo Verbum est in humanitate; infertur tamen specialis modus distinctus ab alijs modis, quibus dicitur Deus esse, vel in omnibus rebus per operationem, vel in Sanctis per gratiam, vel in Beatis per gloriam.

CONTRA eandem conc. sunt arg. quæ referunt & sol.

& soluunt Suar. & Vasq. quorum solutiones A patent ex dictis.

ARTICVLVS V.

Vtrum qualibet persona diuina potuerit humanam naturam assumere.

3. diff. 1. q. 2. art. 3. **A**D quintum sic proceditur. Videtur, quod nulla alia persona diuina potuerit humanam naturam assumere, praeter personam Filij. Per huiusmodi enim assumptionem factum est, quod Deus sit filius hominis. Sed inconueniens esset, quod esse Filium hominis conueniret Patri, vel Spiritui sancto: hoc enim vergeret in confusionem diuinarum personarum. Ergo Pater, vel Spiritus sanctus carnem assumere non potuit.

Præterea, Per Incarnationem diuinam homines affectui sunt adoptionem filiorum: secundum illud Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis, iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum. Sed filiatio adoptiua est participata similitudo filiationis naturalis, qua non conuenit, nec Patri, nec Spiritui sancto: unde dicitur Rom. 8. Quos praesciuit, & praedestinauit conformes fieri imagini Filij sui. Ergo videtur, quod nulla alia persona potuerit incarnari, praeter personam Filij.

Præterea, Filius dicitur missus, & genitus natiuitate temporali, secundum, quod incarnatus est. Sed Patri non conuenit mitti, qui etiam est innascibilis: ut in prima parte habitum est: ergo saltem persona Patris non potuit incarnari.

Sed contra est, quod quicquid potest Filius, potest Pater, & Spiritus sanctus: alioquin non esset eadem potentia trium personarum. Sed Filius potuit incarnari. Ergo similiter Pater, & Spiritus sanctus.

Respondetur dicendum, quod sicut dictum est, assumptio duo importat, scilicet ipsum actum assumptis, & terminum Assumptionis: principium autem actus est virtus diuina: terminus autem est persona: Virtus autem diuina communiter, & indifferenter se habet ad omnes personas: eadem etiam est communis ratio personalitatis in tribus personis, licet proprietates personales sint differentes. Quandoque autem virtus aliqua indifferenter se habet ad plura, potest ad quodlibet eorum suam actionem terminare: sicut patet in potentis rationalibus, quæ se habent ad opposita, quorum utrumque agere possunt. Sic ergo diuina virtus potuit naturam humanam vnire personæ Patris, vel Spiritus sancti, sicut vniuit eam personæ Filij. Et ideo dicendum, quod Pater, vel Spiritus sanctus potuit carnem assumere, sicut, & Filius.

Ad primum ergo dicendum, quod filiatio temporalis, qua Christus dicitur filius hominis, non constituit personam ipsius, sicut filiatio æterna: sed est quidam consequens natiuitatem temporalem. Unde, si per hunc modum nomen Filiationis ad Patrem, vel Spiritum sanctum transferretur, nulla sequeretur confusio diuinarum personarum.

Ad secundum dicendum, quod filiatio adoptiua est quædam participata similitudo filiationis naturalis. Sed sit in nobis appropriatè à Patre, qui est principium naturalis filiationis: & per donum Spiritus sancti, qui est amor Patris, & Filij: secundum illud Gal. 4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem, Abba pater. Et ideo sicut filio incarnato, adoptiuam filiationem accipimus ad similitudinem filiationis naturalis eius: ita Patre incarnato, adoptiuam filiationem recipiemus ab eo, tanquam à principio naturalis filiationis, & à Spiritu sancto tanquam à nexu communi Patris, & Filij.

Ad tertium dicendum, quod Patri conuenit esse innascibilem secundum naturam eternam: quod non excluderet natiuitatem temporalem. Mitti autem dicitur filius Dei secundum Incarnationem, eo quod est ab alio, sine quo Incarnatio non sufficeret ad rationem missionis.

Sensus quaesiti.

TITVLVM explicat optime Caiet.

Forma Textus.

CONCL est: Pater vel Spiritus sanctus potuit carnem assumere sicut & filius. Probatur; quia diuina virtus potuit naturam humanam vnire personæ Patris vel Spiritus sancti, sicut vniuit eam personæ Filij. Consequentia probatur; quoniam assumptio duo importat, scilicet actum assumptis, & terminum assumptionis, quorum alterum scilicet virtus diuina, est principium actus, alterum autem scilicet persona, est terminus. Antecedens autem probatur; quia quandoque virtus aliqua indifferenter se habet ad plura, potest ad quodlibet eorum suam actionem terminare. Sed virtus diuina indifferenter se habet ad omnes personas; ergo. Maior probatur seu magis declaratur ex potentis rationalibus, quæ cum se habeant ad opposita, utrumque possunt agere. Minor verò probatur, primò ex parte virtutis, qua fit assumptio; quia virtus diuina communiter & indifferenter se habet ad omnes personas. Secundo ex parte personarum, ad quas terminanda esset assumptio; quia eadem est communis ratio personalitatis in tribus personis.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt quæ scribit Caiet. circa discursum præsentis articuli, & quæ circa conclusionem & responsionem ad primum notat Porrecta. Et quia tota huius articuli doctrina facilis, & plana est, pertransio cum alijs expostoribus, qui vix hunc articulum attigerunt.

ARTICVLVS VI.

Vtrum plures persone diuine possint assumere vnam numero naturam.

AD sextum sic proceditur: videtur, quod duæ persone diuine non possint assumere vnam, & eadem numero naturam. Hoc enim supposito, aut essent vnus homo, vel plures. Sed non plures: sicut enim vna natura diuina in personis pluribus non patitur esse plures Deos, ita vna natura humana in pluribus personis non patitur esse plures homines. Similiter etiam non possent esse vnus homo: quia vnus homo est iste homo, qui demonstrat vnam personam: & sic tolleretur distinctio trium personarum diuinarum: quod est inconueniens. Non ergo duæ, aut tres persone possunt accipere vnam naturam humanam.

Præterea, Assumptio terminatur ad vnitatem personæ: ut dictum est. Sed non est vna persona Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ergo non possunt tres persone assumere vnam naturam humanam.

Præterea, Damasc. dicit in 3. lib. & August. in 1. C. 3. & 4. de Trin. quod ex incarnatione Filij Dei consequitur, quod quicquid dicitur de Filio Dei, dicitur de Filio hominis, & e conuerso. Si ergo tres persone assumerent vnam naturam humanam, sequeretur, quod, quicquid dicitur de qualibet trium personarum, diceretur de

tur de illo homine: & de conuerso, quæ dicerentur de illo homine, possent dici de qualibet trium personarum. Sic ergo id, quod est proprium Patris scilicet generare filium ab æterno, diceretur de illo homine: & per consequens diceretur de filio Dei, quod est inconueniens. Non ergo est possibile, quod tres persone diuine assumant vnā naturā humanā.

Sed contra, Persona incarnata subsistit in duabus naturis, diuina scilicet & humana. Sed tres persone possunt subsistere in vna natura diuina. Ergo etiam possunt subsistere in natura humana, ita scilicet, quod sit vna natura humana à tribus personis assumpta.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, ex vniōe animæ, & corporis in Christo, non fit neque noua persona, neque noua hypostasis: sed sit vna natura assumpta in personam, vel hypostasim diuinam. Quod quidem non fit per potentiam naturæ humanæ, sed per potentiam diuinæ persone. Est autem talis diuinarum personarum conditio, quod vna earum non excludit aliam à communione eiusdem naturæ, sed solum à communione eiusdem persone. Quia igitur in mysterio incarnationis tota ratio facti, est potentia facientis (vt August. dicit in Epist. ad Volusianum) magis circa hoc est iudicandum secundum conditionem diuinæ persone assumptis, quam secundum conditionem naturæ humanæ assumptæ. Sic ergo non est impossibile diuinis personis, vt duæ, vel tres assumant vnā naturā humanā. Eset tamen impossibile, vt assumerent vnā hypostasim, vel vnā personam humanam: sicut & Anselm. dicit in lib. Cur Deus homo, quod plures persone non possunt assumere vnū, eundemque hominem: scilicet in vnitatem personæ.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc positio facta, scilicet quod tres persone assumerent vnā humanā naturā, verum esset dicere, quod tres persone essent vnus homo, propter vnā naturā humanā. Sicut enim nunc verum est dicere, quod tres persone sunt vnus Deus propter vnā diuinā naturā, sic verum esset dicere, quod essent vnus homo propter vnā naturā humanā. Nec ly Vnus, importaret vnitatem personæ, sed vnitatem in natura humana. Nō enim posset argui ex hoc, quod tres persone sunt vnus homo, quod essent vnus simpliciter: nihil enim prohibet dicere, quod homines, qui sunt plures simpliciter, sint vnus quantum ad aliquid: puta vnus populus. Et, sicut August. dicit 6. de Trin. diuersum est natura Spiritus Dei, & spiritus hominis, sed inherendo sit vnus Spiritus, secundum illud 1. Cor. 6. Qui adhaeret Deo, vnus Spiritus est.

Ad secundum dicendum, quod illa positio facta, humana natura esset assumpta in vnitatem, nō vnus persone, sed in vnitatem singularum personarum: ita scilicet, quod sicut diuina natura habet naturalem vnitatem cum singulis personis: ita natura humana haberet vnitatem cum singulis per assumptionem.

Ad tertium dicendum, quod circa mysterium incarnationis sit communicatio proprietatum pertinentium ad naturā: quia quæcūque conueniunt naturæ, possunt predicari de persona subsistente in natura illa, cuiuscunque naturæ nomine significetur. Predicta igitur positio facta, de persona Patris poterunt predicari, & ea que sunt humanæ naturæ, & ea que sunt diuinæ, & similiter de persona Filij, & Spiritus sancti. Non autem id, quod conueniret persone Patris ratione propriæ persone, posset attribui persone Filij, aut Spiritui sancto, propter distinctionem personarum, quæ remaneret. Posset ergo dici, quod, sicut Pater est ingenuus, ita homo esset ingenuus, secundum quod ly Homo supponeret pro persona Patris. Si quis autem vltimus procederet, Homo est ingenuus, Filius est homo; ergo Fi-

lius est ingenuus: esset fallacia figura dictionis, vel accidentis. Sicut & nunc dicimus Deum esse ingenuum, quia Pater est ingenuus: nec tamen possumus concludere, quod Filius sit ingenuus, quamuis sit Deus.

Sensus quæsti.

SENSVS huius quæsti est: an plures persone possint vnā & eandem numero naturā assumere, vt per se primò diuersi termini assumptionis; ita vt quælibet persona diuina assumens per se primò terminet assumptionem, vt hic explicat eruditè Caietanus quem sequitur Suarez.

Forma Textus.

PRIMA CONC. est: Non est impossibile diuinis personis vt duæ vel tres assumant vnā naturā humanā.

SECUNDA CONCL. Impossibile esse vt assumerent vnā hypostasim vel vnā personam humanā. Probantur primò ambæ simul: Quia circa hoc mysterium, in quo ex vniōe animæ & corporis in Christo, neque fit vna persona, neque vna hypostasis; sed sit vna natura assumpta in personā vel hypostasim diuinā, magis iudicadū est secundū conditionem diuinæ persone assumptis, quam secundū conditionem humanæ naturæ assumptæ; ergo non est impossibile diuinis personis &c. Antecedens probatur: quia in mysterio incarnationis tota ratio facti est potentia facientis, vt August. dicit in Epist. ad Volusianum: Consequenter probatur: quia talis est diuinarum personarū conditio, quod vna earum non excludit aliam à communione eiusdem naturæ, sed solum à communione eiusdem persone. Deinde probatur specialiter secunda conclusio auctoritate Anselmi dicentis in lib. Cur Deus homo, plures personas non posse assumere vnū eundemque hominem, scilicet in vnitatem personæ.

Expositio Textus.

ADVERTE primò, Val. plurimis modis formare discursum præsentis articuli sed minus aptè, vt patet conferenti singulos illos modos cum ea forma, quam adhibet Caiet. à qua non multum distat ea, quam vt breuiorem & faciliorem supra posuimus.

Secundo scito, dictum Anselmi pro secunda conclusione relatum à D. Thom. eum sensum habere, quem illi tribuit S. D. vt optimè probat Caiet. à quo licet in principio ob mirus attentam verborum eius inspectionem discordet Suarez in suo Com. carpens etiam ex parte D. Thom. tandem tamen ab ipsa veritate coactus utriusque cōsentit. Vltimò vide Vasq. disp. 29. cap. 2. explicantem responsum ad 3. argum. D. Th.

PRIMA CONTROVERSIA.

De veritate primæ Conclusionis, an scilicet plures diuine persone possint simul assumere vnā & eandem numero naturā?

TRES sunt Doctorum sententiæ. Prima sententiæ est Alberti in tertio distinct. 1. art. 10. in resp. ad 1. quæstionculam, & Ric. 4. 1. q. 3. Quæ sequitur Scotus

Scotus eadem dist. q. 2. §. Ad questionem igitur, & Rada in sua 3 p. Controu. 1. a. 4. Vbi eam explicat tribus conclusionibus. Prima est: Si terminus primus & totalis sit persona, non potuerunt tres personae assumere vnam singularem naturam ad vnitatem personae. Secunda est: Si terminus primus & immediatus vniionis ponatur persona, implicat plures personas diuinas eandem assumere naturam singularem, ita vt ipsis vniatur hypostaticè. Tertia est: Si terminus vniionis immediatus ponatur natura diuina per se subsistens, seu hic Deus per se subsistens, eadem natura potest assumi à tribus quasi mediata.

Secunda sententia est. S. Th. in hoc a. dicentis posse plures personas diuinas vnam & eandem numero naturam assumere; quam etiam tuentur Alensis 3. p. q. 2. memb. 4. S. Bona. in 3. dist. 1. a. 2. q. 2. Dur. eadem dist. q. 3. Gabriel. q. 1. a. 3. & alij antiquiores quos referunt recentiores. eundem sententiam sequuntur omnes discipuli D. Th. Capr. q. 1. a. 1. concl. 2. Cai. & Med. super hoc a. quibus accedunt etiam extranei S. D. expositores, scilicet Val. puncto 3. Suar. disp. 13. sect. 2. & Vasq. disp. 29.

Vltima sententia est Paludani in allegata dist. 1. q. 3. a. 2. asserentis vtramque sententiam esse probabilem.

Resolutio. Declaratur sensus quae sit. Notandum est primò, dupliciter posse tres personas eandem numero naturam, puta hanc humanitatem assumere. Primò modo terminando illam proximè & immediatè per solam ipsis communem subsistentiam essentiali: sic enim, vt supra diximus, quælibet diuina persona naturam illam secundario diceretur assumere. Et in hoc sensu, quaestio hac definita fuit supra artic. 3. Alio modo possunt tres personae diuinae eandem numero naturam assumere, terminando illam proprijs personalitatibus, ita vt in ea natura sint tres personae subsistentes, quarum quælibet sit homo, & hic est sensus propositae Controuerfiae.

Distinquatur ex- plicatur duplex dependen- tia mo- di. Secundo sciendum est, duplicem esse dependentiam essentiali alicuius entis ab altero; quaedam est propriè dicta: & hæc necessariò est cum aliqua causalitate, vel efficienti vel formali, &c. Quedam alia est dependentia essentialis minus propriè dicta: & hæc est sine causalitate, cum sit inter ea quorum vnum est alteri necessariò connexum, & tamen neutrum est alterius causa; sicut duo correlatiua necessariò simul naturam, nec tamen vnum est alterius causa, & similiter duæ oppositæ differentiae commune genus diuidentes necessariò simul sunt, nec tamen vna est alterius causa, & linea recta necessariò simul est cum puncto terminante, nec tamen ab eo causatur. Et de priori quidem dependentia diximus in 1. p. q. 52. a. 3. Contro. vnica vnum & eundem effectum numero posse, Deo volente, à pluribus eiusdem ordinis causis efficientibus totalibus simul sumptis, & ad modum vnius causae consideratis dependere, & singulas earum esse sufficientes ad producendum effectum, quo ad omnem eius perfectionem, sed non quo ad eius numericam vnitatem, quæ ex illis pluribus simul acceptis, & ad modum vnius integræ causae deriuatur: vt ibi declarauimus. Quo fit vt indigentia effectus, quo ad eius perfectionem suppleri possit à qualibet eius causa totali; sed eiusdem effectus indigentia, quo ad vnitatem numeralem, non nisi ab omnibus illis simul acceptis, à quibus ponitur dependere possit expleri. Et ex hoc fundamento subuertitur totus discursus Vasquezij disput. 19. cap. 4. ex Caietano de-

A sumptus, quo veluti demonstratio vtitur contra sententiam nostram, vt inferius argumentorum solutiones indicabunt. Dependencia verò minus propriè dicta, qua vnum à pluribus dependet, quædam est eiusdem rationis siue speciei: sicut similitudo albi vt quatuor dependet tanquam à terminis eiusdem rationis à pluribus albis, vt quatuor, quorum singuli terminant relationem similitudinis totaliter intensiue, quamuis non totaliter extensiue, vt hic etiam explicat Caiet. & ante eum Capr. loco notato: cuius rationem assignat Caiet. ex differentia inter dependentiam causalem & non causalem, quod illa ponit imperfectionem, & indigentiam in causa, quæ, si sublata fuerit totaliter ab vna causa, implicat vt remaneat indigens altera causa; sed hæc, scilicet dependentia non causalis, potest absque vlla imperfectione & indigentia reperiri, vt videre est in reatiuis quæ in diuinis sunt absque vlla imperfectione & indigentia; ac proinde potest aliunde, id est ex alterius conditione & sufficientia prouenire, vt quod ab vno totaliter intensiue terminatum est, possit etiam ab alio terminari; sed hæc ratio examinabitur infra. Quedam est dependentia minus propriè dicta qua vnum dependet à pluribus diuersarum rationum; quæ ideo non est eiusdem rationis: sicut albedo vt quatuor dependet secundum vnius rationis dependentiam ab vna alia vel pluribus albedinibus eiusdem gradus eandem relationem similitudinis terminantibus; quatenus autem dissimilis, dependentiam habet alterius rationis à nigredine & rubedine, & à minus aut magis albo relationem dissimilitudinis terminante.

Tertio notandum est, dependentiam naturæ à personalitate non esse causalem, vt Caiet. aduertit, q. sequenti, a. 2. de qua re multa diximus 1. p. q. 50. a. 2. Contro. 3 quod perspicue patet in mysterio Incarnationis; nam si persona Verbi quatenus assumptam terminat humanitatem, rationem aliquam haberet causalitatis formalis aut effectiue necesse esset eam duabus alijs personis esse communem; ac proinde nõ solum Verbum, sed etiam Patrem & Spiritum Sanctum eidem humanitati fuisse personaliter vnitum, quod est erroneum.

Quarto sciendum est, duobus modis intelligi posse vnum ab alio totaliter dependere: primò, si eo sublato consistere nequeat: Secundò, si eoposito & omni alio remoto potest sufficienter consistere. Qui duo modi differunt; nam ex primo sequitur secundus, non autem e contra; quia potest esse secundus sine primo; vt patet in dependentia vnius numero paternitatis à pluribus numero filiationibus: vna enim sola filiatione posita & omni alia remota consistit paternitas; nec remouetur paternitas vna aut altera filiatione remota, dummodo vna remaneat; cum tamen à qualibet filiatione paternitas dependeat totaliter intensiue: Hoc igitur secundò modo; non autem primo dicimus humanam naturam, si à tribus diuinis personis assumeretur, ab vnaquaque earum totalem, habituram esse dependentiam; quia tunc humana natura, ita subsisteret ex vi cuiuslibet personalitatis diuinæ, vt quacunque remota posset ex vi vnius tantum eam naturam terminantis subsistere, quod etiam dicendum est de pluribus causis totalibus eiusdem generis & ordinis à Deo applicatis ad vnum numero effectum producendum: hic enim quo ad totam suam perfectionem à qualibet earum causarum produceretur alia quacunque, vel etiam cæteris omnibus remotis.

Eadem numero naturam posse à tribus personis assumi.

Quinto considerandum est ex Caiet. diuina sup-
posita personaliter sumpta prout scilicet suis
personalibus proprietatibus constituuntur &
distinguntur, esse quodammodo vnius & quo-
dammodo diuersæ rationis; nam si rationem at-
tendamus personalitatis communem, vna om-
nium communis est ratio, vt cum D. Thom. &
alijs ostendimus 1. p. q. 30. a. 4. Si verò propria
cuiusque diuinæ personæ consideremus, diuersæ
sunt rationis, vt ostendimus 1. p. q. 27. a. 4. Cō-
tro. 3. & affirmat expressè S. D. de potent. q. 10.
art. 2. in responsione ad 12. & 1. p. q. 32. a. 2.

Ex quibus sequitur primò doctrinam de cau-
sali dependentia vnius effectus à pluribus causis
totalibus, eiusdem generis & ordinis ad huius
controversiæ definitionem minimè pertinere.
Secundo sequitur, assumptionem vnius & eiusdem
numero naturæ fieri possibilem à tribus simul
personis esse diuersæ rationis absolute loquen-
do, & consequenter etiam dependentiam illius
naturæ à tribus suppositis esse diuersæ rationis
quasi specificæ, sicut & ipsa diuina supposita
quodam modo specificè distinguuntur; Nam
quemadmodum vnio personalis huius naturæ
cum Patre alterius est rationis ab vnione eius-
dem naturæ personali cum Filio, & ab vnione
cum Spiritu S. quia distinctæ personalitates di-
uersarum rationum essent etiam diuersarum v-
nionum termini formales eas formaliter &
realiter distinguentes, ita potentia obedi-
entialis in eadem natura, qua potest vniri Patri
personaliter, alterius est rationis ab ea potentia,
qua potest vniri Filio & ab ea qua potest vniri
Spiritu sancto, atque ideo non essent in his v-
nionibus dependentiæ eiusdem rationis, sed al-
ia esset dependentia huius naturæ à subsistentia
filij, & alia à subsistentia Patris, & alia à subsisten-
tia Spiritus sancti, vt hic bene deducit Caiet. quæ
sequitur Suar. & Vasq. *Tertiò sequitur*, præcisa
etiam à tribus personalitatibus specifica diuersi-
tate, posse nihilominus ab eis simul eandem nu-
mero creatam naturam terminari; quia naturæ
creatæ dependentia à personalitate diuina non
provenit ex indigentia naturæ, sed ex sufficien-
tia diuinæ personalitatis & potentia naturæ o-
bedientiali ad ipsam. Cum igitur vnaquæque
diuina personalitas sufficientiam, præcisa diuer-
sitate specifica ab altera, habeat infinitam & in
natura creata sit potentia obediens ad quam-
libet diuinam personalitatem, cōsequens est ean-
dem numero naturam simul à tribus personali-
tatibus etiam præcisa inter eas rationis diuersi-
tate posse terminari.

*Cur natura
creata ter-
minatur per
sonalitate à
nulla perso-
na, etiā di-
uina possit
assumi, ter-
minata ve-
rò per vnā
diuinā per-
sonalitatem
ab alijs dua-
bus in Deo
personis pos-
sit assumi:*

Quintò Notanda est multiplex differentia in-
ter modum, quo natura creata terminatur pro-
pria personalitate, & quo terminatur aliena pu-
ta diuina. *Prima differentia* est illa, quam assignat
Cai. dicens modum quo hæc humanitas propriā
habet personalitatem esse, quia ipsa humanitas
est principium constitutum suæ personæ; quia
ex vnione animæ & corporis constituitur non
solum vna natura singularis, sed etiam vna per-
sona; adeo vt ratio habendi propriam personam
sit ipsa substantialis & perfectā natura extra cau-
sas suas in rerum natura sibi dimissa. Et quia (in-
quit Caiet.) hæc humanitas suapte natura non
se extendere potest, nisi ad cōstituendam vnā
personam sibi propriam, & personæ repugnat
assumi ab alia persona in vnitate personali; ideo
hæc humanitas sic personatur in Socrate propria
personalitate, vt ea terminetur totaliter inten-
siuè & extensiue. Sed hæc humanitas alio modo,
& alia ratione personatur per assumptionem; quia

non constituendo personam personatur: & ideo
potest ab alia persona assumi absque hoc, quod
assumatur ea personalitas, qua primò fuerat ter-
minata. Huic differentiæ *secundam etiam addit*
Caietanus, dicens diuersam esse vtrouque ra-
tionem terminandi; quia diuina persona termi-
nat ex sua infinitate, & natura humana non na-
turali sed obedientiali potentia personatur per
alienam personam: at persona Socratis non ex al-
liqua excellentia sed ex naturali adæquatione
terminat personaliter suam naturam, & è contra
natura Socratis per eam naturaliter est adæqua-
bilis personaliter. *Tertia differentia* est quam as-
signat Medinam *resp. ad quartum Scoti*, qua de-
claratur prima differentia Caiet. ait enim natu-
ram hanc humanam per se constituere persona-
litatem propriam, quæ terminat illam naturam,
& suscipitur in illa tanquam perfectio intrinse-
ca; & ideo impossibile esse assumere naturam hu-
manam in propria persona, & non simul as-
sumere propriam personalitatem, quæ tamen est
inassumptibilis; at personalitas diuina quodam-
modo extrinseca est humanæ naturæ; & ideo
postquam assumpta est ab vna diuina persona,
assumi potest etiam ab altera. Quem dicendi
modum sequitur Aluar. *disp. 26.* dicens, impossi-
bile esse naturam assumi, quin assumatur eius
suppositum, nisi destruat, ob naturalem & in-
trinsecam connexionem quam habet cum natu-
ra, à qua tanquam formalis effectus secundarius
emanat; quod explicat exemplo ex hoc myste-
rio Incarnationis accepto. Nam quia natura di-
uina necessarium & intrinsecam habet connexio-
nem cū personalitate Verbi, eo ipso quod Ver-
bum nostram naturam assumpsit, & eam per se
primò terminauit, consequenter etiam diuina
natura eandem naturam assumpsit secundariò,
non in se ipsa sed in persona Verbi: sic igitur
proportionabiliter ob naturalem & intrinsecam
connexionem propriæ personalitatis cum natu-
ra quam terminat, impossibile est assumi naturā
propriā personalitate terminatam, quin secun-
dariò saltem assumatur ipsa persona, nisi diuina
virtute supernaturali destruat. *Quarta differ-
entia* est, quā constituit Cap. loco notato dicens, dif-
ferentiā esse; quia suppositum creatū terminat
dependentiā naturæ suæ secundum vnā esse &
vnum subsistere, in quo aliud suppositū creatū
communicare non potest; sed diuersorum sup-
positorum sunt diuersæ subsistentiæ in creatu-
ris; Diuinæ verò personæ vnica habent subsi-
stentiam, licet habeant distinctas personalitates;
& ideo non sequitur, quod eadem natura habe-
ret plures subsistentias, si assumeretur à pluribus
diuinis personis; sed solum, quod esset vnita à
pluribus personalitatibus relatiuis. Quod dictū
quamuis innitatur falso fundamento nimirum
in diuinis non esse tres subsistentias relatiuas,
sed vnā tantum absolutam; potest tamen opti-
mè proposito deferuire adhibito moderamine
dicendo, differentiam esse inter supposita creata
& diuina, quod supposita creata singula termi-
nant dependentiam naturæ suæ secundum vnum
subsistere & vnum esse, quod alteri supposito nō
est commune: diuina verò supposita, quamuis
tres habeant subsistentias relatiuas & personales;
vnā tamen habent communem substantialem
subsistentiam, quæ vt tribus relationibus modi-
ficata, est triplex subsistentia personalis; & ideo
sicut diuina natura tribus illis personalibus sub-
sistentijs naturaliter terminatur, ita hæc vna
numero natura creata potentiam habet obe-
dientialem, vt tribus illis personalibus subsi-
stentijs

flentij terminetur. Si autem fieri posset, ut plura supposita creata, vel vnum creatum & aliud increatum haberet, vnam aliquam communem subsistentiam, sicut habent diuinæ personæ, tunc vnum suppositum creatum non terminaret totaliter extensiuè dependentiam naturæ; sed posset ulterius terminari per aliud suppositum habens eandem subsistentiam; sed quia nullum suppositum communicat cum alio supposito in eadem subsistentia; ideo suppositum omne creatum suæ naturæ dependentiam terminat totaliter intensiuè & extensiuè. *Quinta differentia* est, quam subiungit ibi Capreolus dicens, suppositum creatum terminare dependentiam naturæ eo modo, quo totum subsistens terminat dependentiam partium; personam autem diuinam terminare dependentiam assumptæ naturæ eo modo, quo subsistens terminat dependentiam alienius sibi vniti, sicut subiectum terminat dependentiam accidentis; constat autem idem non posse esse partem duorum totorum subsistentium; cum tamen idem accidens possit vniri duobus substantijs habentibus eandem subsistentiam, sicut quantitas materiæ & formæ. *Sexta differentia* est ea, quam assignant Suar. & Vasq. tanquam solam efficacem ad intentum probandum, nimirum naturam personatam propria personalitate assumi non posse: dicunt enim personalitatem esse modum naturæ propriæ intrinsecum per se existendi, qui modus formalem & propriam habet repugnantiam cum eo modo vnionis, quem habet natura assumpta in alieno supposito; quia esse per se & esse in alio modi sunt adeo repugnantes, ut vnus proximè includat negationem alterius. Nam idem accidens non potest simul esse per se & actualiter inhaerere; sicut nec eadem virga potest esse recta simul & curua: persona verò extrinseca naturam assumens non est assumptæ naturæ modus intrinsecus, sed tribuit illi modum essendi in alio; magis autem repugnant modus essendi per se & esse in alio, quam duo modi essendi in alio; quia illi duo modi ita se habent, ut vnus includat negationem alterius; isti verò minimè, sed sunt prorsus disparati, sicut idem accidens potest esse in duobus subiectis; non tamen per se & in alio. Ex quo etiam facile est intelligere, cur possit eadem natura diuina esse in tribus personis; quia scilicet in illis omnibus est per se, & omnes illæ personalitates sunt veluti modi per se existendi, & non dicunt vnionem ad extrinsecam personam; & ideo non includunt illam repugnantiam & negationem mutuatam, quam includunt modus per se & in alio.

Sed hæc doctrina, quam ad excludendos modos dicendi Caietani, Medinæ, & Capreoli, Suarez diligenter explicauit, in eo falsa est, quod ait, personalitatem naturæ propriam esse modum eius intrinsecum non realiter sed formaliter seu ex natura rei tantum ab ea distinctum; quo ad alia verò verissima est, & prædictis dicendi modis parum ab inuicem differentibus, quam maximè fauet; eorum enim radicem indicat & sensum aperit. Ex eo namque quod hæc humanitas sic propriam habet personalitatem, ut sit principium constitutum suæ personæ, sit eadem personalitate per se subsistens; ita ut natura & substantia, non per aliud à se sed per seipsam subsistat; quia subsistere per proprium & intrinsecum terminum non distinguitur contra subsistere per se; quia proprius terminus est aliquid terminati, & ad eius pertinet complementum. Quamuis igitur natura & substantia intermina-

ta, non per se subsistat, sed necesse sit ut proprio termino compleatur, natura tamen completa seu terminata, verè dicitur seipsa subsistens, ut subtiliter ac eruditè docet Caiet. in *quæst. sequenti, ar. 2 respondens ad 5. argumentum Scoti*: igitur secundum expressam doctrinam Caiet. ex hoc, quod natura principium formale est suæ personalitatis constitutum (eo scilicet modo, quo res tendens ad sui complementum & terminum suæ perfectionis intrinsecum, dici potest illius seu complementi seu termini principium formale, ut infra declarabitur in propria Controuer.) habet, ut postquam fuerit ea personalitate completa seu terminata, sit verè & propriè per seipsam subsistens; modo verò per se subsistendi repugnat, ut dictum est ex Suar. modus in alio existendi; & ideo natura sic personata non potest assumi, & fieri in alia natura subsistens. Et hoc idem voluit significare Capreol. in secunda apud eum, & apud nos quinta differentia; nam et si natura ad suum suppositum non propriè comparatur ut pars ad totum, sed magis ut incompletum ad completum, ut ante diximus ex Caiet. ratio tamen siue modus quidam est totius & partis in natura & supposito proprio adinuicem comparatis, propter quem dicitur natura esse in proprio supposito tanquam in quodam toto; sed magis propriè loquendo, natura dicitur esse in supposito eo modo, quo res prius incompleta dicitur esse in se ipsa postea completa: iam autem diximus, naturam subsistentia completam esse per se subsistentem, cui ut sic repugnat subsistere in alio extrinseco subsistente. Ex hac doctrinæ Caiet. declaratione dilui facile poterunt argumenta, quæ contra eam producit Suarez & alij recentiores.

PRIMA CONCL. Plures diuina persona possunt assumere eandem numero naturam, ut plures termini deducuntur, diuersarum rationum eam singuli totaliter terminantes. Hæc patet ex dictis. *Conclusiones deductæ, & probatæ.*

SECUNDA CONCL. Præcisa à diuinis personis, litatibus diuersitate specificæ possunt adhuc plures personæ eandem numero naturam creatam assumere. Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCLUSIO: Nec plures, nec vna ex diuinis personis potest assumere naturam propriam personalitate; vel subsistentia terminatam ob eas rationes, quas adducunt Caiet. in Capreol. Medina & Aluar.

VLTIMA CONCLVS. Non implicat contradictionem vnum numero effectum dependere simul à pluribus efficientibus eiusdem ordinis tot alibus. Hæc patet ex dictis in 1. p. q. 52. a. 3.

CONTRA primam & secundam conclusionem sunt septem argumenta Scoti quæ refert & soluit Capreolus in 3. distinct. 1. quæst. vnica. Contra secundam suam conclusionem ex quibus primum tantum hic affert Caietanus & latissimè soluit. Quædam etiam argumenta contra eandem conclusionem referunt & soluunt Medina super hoc artic. Valent. puncto 3. & Aluar. disput. 26. Sed quia Rada producit argumenta Scoti & impugnât responsiones Caietani, operæ pretium erit eadem hic eodem ordine referre, quo producuntur ab eo, & ea cum impugnationibus responsionum Caietani diluere. Arguit igitur primò; Quia D. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, cap. 9. in principio ait, plures personas non posse vnum eundemque hominem assumere; ergo. Respond. cum D. Thoma & Caietano Anselm. negare plures personas posse assumere vnum, eundemque hominem in vnitate personæ, siue, ut ait Caiet. assumere vnam personam humanam. Sed hanc responsionem

non esse ad mentem Anselmi probat Rada: Quo-
niam Anselm. in illo cap. inquit in qua persona
Deus, qui est tres personæ, humanam naturam
assumpsit, & sumit tanquam certum, illam v-
nionem non esse factam in pluribus personis:
(Quoniam inquit impossibile est plures personas vnum
eundemq. hominem accipere) vt inde concludat, in
vna tantum persona, quæ est secunda Trinitatis,
vnionem esse factam: at si per vnum eundemque
hominem intelligeret Anselm. hypostasim huma-
nam, nihil concluderet; ergo. Probatur hæc mi-
nor; quia sicut implicat assumi à pluribus vel
tribus personis vnā hypostasim humanam, ita
implicat assumi ab vna sola: at Anselm. expressè
concedit, hominem esse assumptum ab vna per-
sona, & statim ostendit illum esse Filium Dei;
ergo per ly vnum eundemq. hominem naturam ato-
mam & singularem intelligit. Et confirmatur;
quia seruato eodem locutionis modo & acceptio-
ne nominis, statim subdit Verbum assumpsisse
hominem; ergo nomine hominis idem vtrobi-
que significat. Sed cum ait, Verbum hominem
assumpsisse, necessariò intelligit naturam huma-
nam singularem; ergo similiter cum dixit eun-
dem hominem à pluribus personis accipi non
posse, &c. Resp. Verba D. Anselmi in illo c. hæc esse:
Nunc quoque querendum est, in qua persona Deus,
qui est tres personæ, hominem assumat; plures enim
personæ nequeunt vnum, eundemq. hominem assumere
in vnitæte personæ; quare in vna persona tantum hoc
fieri necesse est: & addit, se de hac vnitæte personæ
Dei & hominis, & in qua persona Dei hoc magis
fieri oporteat, alibi locutum fuisse. Ex quibus
apparet, Anselmum supponere Christum vnum
tantum hominem personaliter fuisse, vt fides
Catholica docet, ex quo infert eius humanita-
tem vni tantum & non pluribus personis hy-
potheticè fuisse coniunctam: & idè non abso-
lutè negauit, tres personas posse eandem hu-
manitatem assumere, sed cum addito, scilicet in
vnitate personæ: constat autem impossibile
esse tres personas nò posse assumere eandem nume-
ro humanitatem in vnitate personæ: nam id
fieri non posset, nisi assumendo personalitatem
humanam; cum tres diuinæ personæ non possint
in vnā numero personam conuenire; & idè S.
D. sola verba D. Anselmi referens ait, plures per-
sonas non posse assumere vnum eundemque ho-
minem in vnitate personæ; ita scilicet vt in as-
sumpta humanitate sit vnā persona subsistens;
cum tamen id possit vna persona: Et quamuis
nomine vnus & eiusdem hominis Anselmus in-
telligat vnā & eandem numero humanitatem,
quod non negat hic S. D. quia tamen, vt dixi, non
possent plures personæ assumere eandem nume-
ro humanitatem in vnitate personæ, nisi assu-
mendo personalitatem & personam humanam; i-
dè bene Caietanus nomine vnus & eiusdem ho-
minis intellexit humanam personam significari:
quia si non directè & primò; consequenter ta-
men & secundariò verba illa; vnum eundemq. ho-
minem, personam humanam significant: vbi de
pluribus personis assumentibus sermo est, ob di-
ctam causam. Ad argumentum igitur in forma ne-
gatur minor: ad cuius probationem dico ea benè
probari per dicta verba directè & primò signifi-
cari naturam atomam & singularem; sed tamen,
vt dixi, consequenter significatur humana per-
sona: Vbi de pluribus personis diuinis assumen-
tibus sermo est, propter addita illa verba: in vni-
tate personæ: & eodem modo soluitur confirmatio.

Conf.

Sol.

Ad Conf.

Obj. 2.

Secundo arguit cum Scoto: In omni dependen-
tia essentiali, vnum dependens non dependet præ-

cisè, nisi ad vnum, quod totaliter terminat eius
dependentiam: sed in hac vnione hypostatica est
dependentia essentialis vnus naturæ, & vna per-
sona terminat totaliter eam; ergo eadem natura
non potest sic ad plures personas dependere.
Consequentia est bona. Maior probatur in om-
ni dependentia causati ad causam; quia impossi-
bile est, idem causatum habere plures causas in
eodem genere causadi; quia sequeretur quod de-
penderet essentialiter ab aliquo, quo non exis-
tente nihilominus esset, quod tamen inuoluit
contradictionem; id ipsum apparet. Verum in o-
mnibus dependentijs, etiam quæ non sunt causati
ad causam, quod cum dependentia alicuius fu-
erit totaliter terminata ad aliquid, ipsum non
potest dependentia eiusdem rationis ad aliud
dependere, vt patet de accidente respectu plu-
rium subiectorum primorum: Implicat enim i-
dem accidens dependere simul ad duo subiecta
prima. Albedo enim non potest dependere ad Pe-
trū; cum eius dependentia totaliter fuerit termi-
nata ad Ioannē. Minor probatur; quia persona-
litas creata totaliter terminaret dependentiā na-
turæ; & illa stante nò posset simul esse in alia crea-
ta vel increata: at non minus terminat naturam &
eius dependentiam personalitas cuiuscunque
personæ diuinæ, quam creata; ergo sicut stante
personalitate creata non potest illa natura ab alia
persona assumi; ita stante vna personalitate in-
creata eam terminante non potest ab alia assu-
mi. Et confirmatur, quia per quamlibet totaliter
terminatur: at implicat eandem dependentiam
simul terminari à duobus totalibus terminis; er-
gò.

Respon. primò, falsam esse maiorem in quolibet
genere dependentiæ, etiam causati ad causam, vt
patet ex dictis. Ad probationem, quod seque-
retur aliquod ab aliquo essentialiter dependere;
quo non existente nihilominus esset; quod ta-
men inuoluit contradictionem: Resp. duobus
vt supra diximus, modis intelligi posse vnum ab
alio totaliter dependere: Vno modo si eo subla-
to consistere nequeat: Secundò si eo posito & om-
ni alio remoto potest sufficienter consistere:
argumentū autem procedit ac si vno modo tantum,
scilicet primo modo, diceretur aliquid totaliter
dependere; nam quod ita dependet ab aliquo
impossibile est, vt eo remoto perseueret in esse:
Quod autem secundo modo præcisè pen-
det ab aliquo, potest etiam eo remoto permane-
re, sic autem dicimus vnum effectum à plu-
ribus causis totalibus posse dependere, & non
primo modo. Quod idem dicendum est de de-
pendentia minus propriè dicta, vt relatiui à cor-
relatiui: & in proposito naturæ humanæ à per-
sonalitate diuinæ: est enim dependentia totalis,
non primo sed secundo modo dicta; quia scilicet
id, quod ab alio dependet, potest omni alio re-
moto permanere. Ad id, quod ait de acciden-
te respectu plurium primorum subiectorum,
respondet Caiet. Secundo resp. cum Caiet. maio-
rem non esse veram, nisi triplici addita limita-
tione: prima quoad dependentiam, vt intelliga-
tur de dependentia propriè dicta, quæ est effe-
ctus à causa: Secunda, quo ad particulam illam,
non dependet, vt intelligatur de dependentia eiuf-
dem omnino rationis siue speciei infimæ. Tertia
est, quo ad dictionem illam, totaliter, vt intelliga-
tur tam intensiue quam extensiue: In hac autem
dependentia naturæ à supposito nulla est causa-
litas suppositi respectu naturæ: Vnde non est
eiusdem rationis dependentia vnus naturæ à
tribus personis. Postremò, natura non est totali-
ter

Replica.

Conf.

sol.

ad conf.

ter extensiuè terminata ab aliqua vna persona A diuina; sed tantum à tribus. *Sed instat Rada contra primam limitationem* argumento iam soluto. Deinde *contra secundam*, quatenus applicatur proposito; Quia licet tres relationes sint alterius rationis secundum se; non tamen vt terminant, sed potius eiusdem rationis; ergò. Probatur assumptum; quia terminant sub ratione personalitatis seu hypostasis: & sub hac ratione sunt eiusdem rationis & speciei. Demum *contra tertiam*; quia effectus qui diuim potest esse à duabus causis totalibus, postquam habet esse ab vna, non potest simul esse ab alia, licet eius dependentia non sit terminata totaliter extensiuè sed solum totaliter intensiuè, vt patet de calore qui B & ab igne & à sole produci potest; ergò cum natura humana assumpta à Verbo sit terminata totaliter intensiuè, licet non extensiuè, non est assumptibilis simul ab alia, stante scilicet assumptione priori. Et *confirmatur*; quia quod est terminatum totaliter extensiuè, non potest terminari ab alio extensiuè totaliter; ergò similiter quod est totaliter intensiuè terminatum, non potest vterius simul intensiuè totaliter terminari: sed natura assumpta est totaliter intensiuè terminata à Verbo; ergò non potest simul totaliter intensiuè terminari ab alia persona. *Respondetur*: Ad argumentum contra secundam limitationem, negatur assumptum. Ad probationem negatur etiam assumptum; quia tunc quilibet persona terminaret assumptam naturam, non sub communi tantum ratione personalitatis; sed sub ratione sua propria; sicut Verbum terminat assumptam naturam; non sub communi ratione tantum, alioquin non solum Verbum sed etiam Pater & Spiritus sanctus eodem modo terminarent humanam naturam; quia personalitas quæ communis est tribus personis, æquè conuenit omnibus. Ad argumentum contra tertiam limitationem negatur consequentia; quia dependentia effectus à causa est secundum esse existentie in rerum natura, quod est vnus rationis; & semel productum ab vna causa non potest iterum ab alia produci: implicat enim contradictionem produci id quod actu est; quamuis, vt ante diximus, cum actu producit ab vna causa totali, possit etiam ad eius productionem concurrere alia causa totalis eiusdem generis & ordinis. Dependens verò natura creatæ à persona diuina non est proximè & immediatè secundum existentiam in rerum natura; sed quo ad subsistentiam, quæ in tribus personis diuinis est diuersarum rationum, cui ex parte naturæ correspondet potentia obedientialis diuersæ rationis, vt ait Caietanus: & ideo postquam fuerit natura creata per vnā, puta Verbi personalitatem, totaliter intensiuè terminata, potest adhuc per aliam totaliter intensiuè terminari. Ad E confirmationem negatur consequentia, quia omne, quod est terminatum ab aliquo totaliter extensiuè, est etiam terminatum ab eo totaliter intensiuè: Non enim potest esse, vt aliquid sit totaliter extensiuè terminatum; quin sit etiā ab eo totaliter intensiuè terminatum; terminatio namq; personalis tota fit intensione à quolibet terminante, nec ab vilo fieri potest, nisi tanquam à termino totali: sicut etiam punctus ex vna parte terminans lineam non eam terminat, vt partialis eius terminus sed vt totalis, nec magis intensè potest eam terminare quā faciat: Non omnè autem, quod ab aliquo terminatur totaliter intensiuè, terminatur ab eo totaliter etiam extensiuè ob rationes superius assignatas. Tertiò, *Resp. ad*

argum. principale, & negatur minor si sermo sit de terminare totaliter, non solum intensiuè sed etiam extensiuè. Ad cuius probationem respondetur cum Caietano primò, personam diuinam minus extensiuè terminare naturam assumptam, quā terminaret eius propria personalitas. Secundò respondetur, probationem illam peccare secundum non causam vt causam; quia ratio propria cur persona diuina relinquat naturam creatam assumptibilem ab alia persona, non est; quia minus terminet naturam, quā terminaret propria personalitas; sed ratio propria est, quia terminat illam alio modo, vt supra notauimus ex Caietano & alijs: Vbi multas enumerauimus differentias inter modum quo natura creata propria personalitate & modum quo terminatur aliena nempe diuina.

Sed instat Rada contra differentiam assignatam à Caiet. quod scilicet hæc humanitas, sic habet propriam personalitatem, vt sit principium constitutum suæ personæ, &c. & ait hanc doctrinam seu solutionem indignam esse suo auctore primò; quia hæc humanitas non constituit personam; sed potius ipsa est, quæ personatur. Secundò, quoniam ex eo quod natura creata constituat naturam creatam, non rectè colligitur quod terminetur propria personalitate totaliter intensiuè & extensiuè. Tertiò; quia natura creata personata potest assumi ab alia persona; non quidem simul; sed diuim, scilicet separata propria personalitate; ergò propria personalitas non terminat totaliter extensiuè. *Resp. ad sol.* primam falsum esse antecedens; quia natura suo modo constituit personam, vt supra diximus. Ad secundam dico, optimam esse deductionem, vt patet ex quinto notabili. Ad tertiam dico, eam personalitatem dici in proposito terminare naturam totaliter extensiuè, quæ simul non compatitur aliam personalitatem in eadem natura, licet ea, quam habet, dimissa, possit aliam assumere.

Tertiò principaliter arguit; Quia eadem natura singularis non potest constitui duabus differentijs singularibus primis; nec eadem natura pluribus differentijs specificis; ergo nec vna natura creata pluribus potest personalitatibus terminari. Et *confirmatur*; quia natura animalis determinata per rationalitatem intensiuè, non tamen extensiuè, non potest simul alia differentia specifica terminari; ergo natura creata terminata intensiuè totaliter per personalitatem increatam non potest simul alia personalitate personari etiam increata. *Resp.* Consequent. valere de pluribus personalitatibus intrinsicis & ex ipsa natura deriuatis & ad eius naturale complementum pertinentibus, non autem de personalitatibus extrinsecis & supernaturaliter terminantibus; & ratio est; quia sicut vna est rei essentia per differentias essentielles constituta, ita vnum substantiale & intrinsecum ac naturale ipsius essentiae complementum, quod est propria subsistentia seu personalitas, quæ hypostasis vel persona constituitur. Et per hæc diluitur *confirmatio*; quia rationalitas ita determinat animal, vt essentiam hominis tanquam pars eius essentialis constituat; & si adderetur alia differentia, resisteret alia essentia & prior destrueretur: personalitas autem diuina non ita terminat naturam, vt constituat aliquod totum, tanquam pars eius essentialis; sed constituit vnum quoddam compositum ex natura & supposito, cui non repugnat alia compositio ex eadem natura & alio diuino supposito, vt iam ostendimus.

CONF.

Concl. 3. concl.
Obi. 1.

CONTRA tertiam conclusionem sunt duo argumenta, quæ profert & soluit Alvarez *disput.* 26.

Contra eandem conclusionem argumentatur Val. *puncto 3.* volens probare, vanam esse rationem Caietani, quæ probat illam conclusionem; quia cum natura per propriam personalitatem terminatur, non est principium constitutum suæ personalitatis formaliter; ita ut eodè formaliter sit persona, quod est formaliter natura, sed dici potest tantummodo principium constitutum personalitatis suæ tanquam origo seu fons; unde propria personalitas emanat; ergo nihilominus manet distinctio formalis, immò & realis secundum Caietanum inter naturam & personalitatem eius propriam: sed hac distinctione salua non apparet vlla ratio, cur si natura est principium & quasi origo personalitatis suæ, nequeat assumi, quando est per personalitatem propriam terminata; nisi assumatur persona, id est, ipsa natura quatenus terminata per suam personalitatem. Quo etiam argumento utitur Suarez *disputat. 14. sect. 1. §. 6.* & idè addit vltimus Caietanus.

Sol.

Resp. primò, falsam esse subsumptam propositionem. Quia personalitas est complementum substantiale, & intrinsecum naturæ conferens illi modum essendi per se, id est non in alio, tanquam quo in quod: & idè natura assumi non potest, nisi assumatur etiam eius complementum & personalitas, quod est impossibile, ut antè diximus. Nec obstat distinctio realis personalitatis à natura; quoniam hoc ipso, quod personalitas est naturæ complementum intrinsecum conferens illi prædictum essendi modum, non potest assumi natura, nisi prout sic est completa & subsistens, cui tamen ut sic repugnat esse in alio subsistente.

Obi. 2.

Contra eandem partem argumentatur Suarez: In Sanctissima Trinitate videmus eandem naturam vltimò terminatam in persona Patris rursus terminari per relationem filij; quamvis vna personalitas non terminet personaliter aliam; ergo facilius poterit Verbum terminare naturam personatam, & non personalitatem eius. Probat consequentia; quoniam inter hæc est distinctio ex natura rei, quæ non reperitur inter essentialia & personalitates diuinas. *Resp. primò*, in antecedente duas implicari falsitates. *Prima* est; diuinam naturam totaliter terminari personalitate Patris absolute seu simpliciter loquendo: nam cum duas ratione distinctas ponamus in Deo subsistencias, scilicet absolutam & relatiuam, quæ distinguitur in tres subsistencias personales realiter distinctas, certum est patris personalitatem ea ratione, qua includit in se subsistentiam absolutam, totaliter terminare diuinam naturam, eo modo quo terminabilis est per subsistentiam absolutam: quod idem dicendum est de duabus alijs personalitatibus; quatenus eandem includunt subsistentiam absolutam. Sed qua ratione personalitas Patris dicit relationem paternitatis, & subsistentiam personalem realiter distinctam à duabus alijs personalibus subsistentijs, sic non propriè terminat totaliter diuinam naturam, nisi cum hac limitatione, videlicet modo suo, præter quem sunt alij duo modi realiter & formaliter ab eo distincti, quibus terminabilis est diuina natura, scilicet per subsistentiam filij & Spiritus sancti. *Secunda falsitas* in eodem antecedente clausa est diuinam naturam prius terminari personalitate Patris quàm personalitate filij & Spiritus sancti: quod omnino falsum

A est, ut ostendimus cum D. Tho. in *1. p. q. 42. a. 3.* in diuinis enim est ordo naturæ, siue originis, non quo alter est prior altero, sed quo alter est ex altero. Itaque diuina natura ex sui infinita perfectione sibi vendicat, ut secundum ordinem originis in tribus personis subsistat, & ut earum personalitatibus terminetur; adeò ut non intelligatur vnquam diuina natura perfectè terminata, nisi tribus subsistat personalibus subsistentijs, à quibus est naturaliter terminabilis. Secundò negatur illatio; quia personalitas creata terminat totaliter naturam, ut eius intrinsecum & naturale complementum: persona verò diuina non terminat creatam naturam, ut eius intrinsecum & naturale complementum; sed ut terminus quidam extrinsecus, qui supponeret naturam prius esse propria personalitate completam & terminatam; & idè si naturam assumeret naturali personalitate terminatam, necessariò etiam assumeret personalitatem, ut supra probauimus, quod est impossibile.

Secundò arguit idem expositor, differentiam illam assignatam à Caietano, quod scilicet propria personalitas terminat creatam naturam ex naturali adæquatione: quia licet humana natura existens in propria persona sufficienter & adæquate terminetur; ita ut neque natura sua appetat aliam personalitatem neque habeat naturalem capacitatem eius; non tamen sequitur implicare contradictionem, ut supra naturam excellentiori modo terminetur per infinitam personam; ergo: Probatur assumptum; quia persona Verbi nò solum adæquate, sed etiam excellenter terminat naturam humanam, & nihilominus potest simul terminari ab alia persona; ergo eadem natura licet terminetur propria personalitate poterit simul terminari ab excellentiori persona. *Resp. hæc* differentiam Caietani non esse omnino distinctam à præcedenti ab eodem assignata, sed eam supponere, & ex ea deduci; nam ex eo quod natura personalitate propria terminatur personam constitutendo modo superius explicato; & ex eo quod personalitas naturæ propria est illius intrinsecum & naturale complementum, sequitur ut natura per eam terminetur per modum naturalis adæquationis; quia scilicet personalitas est intrinsecum & adæquatum complementum naturæ; ac proinde confert illi modum adæquatum per se existendi; adeò ut non possit in alia persona existeret.

Tertiò arguit rationem assignatam à Capreolo *obi. 4.* & Dur. sed adhibita illi rationi moderatione supraposita nulla relinquitur vis in argumento dicti expositoris.

CONTRA vltimam concl. argum. Vsq. *disput.* 29. c. 4. ratione desumpta ex Caietan. & alijs; quia natura nihil potest habere superuacaneum; at si essent duæ causæ totales; altera earum esset superuacanea; ergo. *Resp.* falsam esse secundam propositionem seu minorem, primò: quia non omne quod nò est necessariū, debet dici superfluum in natura. Secundò dico causas propriè dici totales respectu perfectionis effectus; non autem respectu indiuiduationis; quando igitur producit aliquis effectus, puta illuminatio, aut ignis à duabus caulis totalibus, est ibi abundantia virtutis respectu perfectionis effectus, cui producendæ sufficeret vna tantum earum, sed respectu indiuiduationis vtraque est necessaria, ut ostendimus *1. p. loc. not.* Sed instat Vsq. ratione Caietani quia quod aliquis effectus pendeat ab aliqua causa, & ad eam referatur, indigentia & necessitatis naturæ ipsius est, eo quod effectus non possit à se ipso esse & conservari; & idè indiget alio effectui.

Replia.

ARTICVLVS VII.

Vtrum vna persona diuina possit assumere duas naturas humanas.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod vna ^{3 d. 1. q. 2. a. 5.} persona diuina non possit assumere duas naturas humanas. Natura enim assumpta in mysterio Incarnationis non habet aliud suppositum præter suppositum personæ diuinæ: vt ex supradictis patet. Si ergo ponatur esse vna persona diuina assumens duas humanas naturas, esset vnum suppositum duarum naturarum eiusdem speciei. Quod videtur implicare contradictionem: non enim natura vnius speciei multiplicatur, nisi secundum distinctionem suppositorum.

Præterea, Hac suppositione facta, non posset dici, quod persona diuina incarnata esset vnus homo: quia non haberet vnā naturā humanā. Similiter non posset dici, quod esset plures: quia plures homines sunt supposito distincti. Et ibi esset tantum vnum suppositum. Ergo prædicta positio est omnino impossibilis.

Præterea, Incarnationis mysterio tota natura diuina est vnita toti naturæ assumptæ, id est cuilibet parti eius, est enim Christus perfectus Deus, & perfectus homo, totus Deus, & totus homo: vt Damas. dicit in 3. libr. ^{cap. 7.} Sed due humane nature non possent totaliter sibi inuicem vniri: quia oporteret, quod anima vnius esset vnita corpori alterius: & quod etiam duo corpora essent simul: quod confusionem induceret naturarum. Non ergo est possibile, quod vna persona diuina duas humanas naturas assumat.

Sed contra est, quod quicquid potest Pater, potest Filius. Sed Pater post Incarnationem Filij potest assumere naturam humanam aliam numero ab ea, quam Filius assumpsit: in nullo enim per Incarnationem Filij est diminuta potentia Patris, vel Filij. Ergo videtur, quod Filius post Incarnationem possit aliam humanam naturam assumere præter eam, quam assumpsit.

Respondetur dicendum, quod illud quod potest in vnum, & non in amplius, habet potentiam limitatam ad vnum. Potentia autem diuinæ personæ est infinita, nec potest limitari ad aliquid creatum. Vnde non est dicendum, quod persona diuina, ita assumpserit vnā naturam humanam, quod non potuerit assumere aliam. Videretur enim ex hoc sequi, quod personalitas diuinæ naturæ esset, ita comprehensa per vnā naturam humanam, quod ad eius personalitatem alia assumi non posset. Quod est impossibile: non enim increatum à creato comprehendi potest. Patet ergo, quod siue consideremus personam diuinam secundum virtutem, quæ est principium Vnionis, siue secundum suam personalitatem, quæ est terminus Vnionis, oportet dicere, quod persona diuina præter naturam humanam quam assumpsit, possit aliam numero naturam humanam assumere.

Ad primum ergo dicendum, quod natura creatæ perficitur in sua ratione per formam, quæ multiplicatur secundum diuisionem materie. Et ideo si compositio materie, & forme constituat nouum suppositum, consequens est, quod natura multipliciter secundum multiplicationem suppositorum. Sed in mysterio Incarnationis vnio forme, & materie, id est, anime, & corporis, non constituit nouum suppositum, vt supra dictum est, & ideo posset esse multitudo secundum numerum ex parte nature propter diuisionem materie absque distinctione suppositorum.

Ad secundum dicendum, quod posset videri dicendum, quod prædicta positio facta, sequeretur, quod essent duo homines propter duas naturas absque hoc, quod

ciente aut conseruante; ac proinde non conuenit ei liberè sed necessariò; ergò, si eadem res sufficienter pendeat ab vna causa, iam ab illa eius indigentia naturalis expleta est; ergò ita adæquatè respondet vni causæ, tanquam suppleti suam indigentiam, vt ad alteram qua non indiget, referri nequeat vt ad causam. Probatur hæc consequentia; quia fundamentum talis relationis debet esse indigentia naturæ; ergò si talis indigentia per alteram causam absoluta sit, nullum remanet naturale fundamentum, quo ad alteram causam referatur & ab ea pendeat. Probatur hæc illatio; quia non pro voluntate, sed pro indigentia postulat à causâ pendere, &c. *Resp. primo*, duplicem esse indigentiam effectus respectu causæ: altera est quo ad suam perfectionem, & contra hanc si sola esset procederet argumentum: altera est quoad indiuiduationem, & aduersus hanc non militat argumentum: quoniam hic effectus, quem asserimus à duabus causis totalibus eiusdem ordinis produci, non esset idem numero, si ab altera tantum earum produceretur: non est autem possibile produci effectum aliquem ab vna, vel pluribus, quo ad ipsius effectus perfectionem; quin ab eis etiam producat, quo ad indiuiduationem. *Secundo dico*, in duabus illis causis totalibus duo considerari, scilicet totalitatem virtutis, & distinctionem eiusdem: perfectio effectus pendet essentialiter ab alterutra earum, & ab vtraque simul ratione perfectionis virtutis in altera, & in vtraque simul existente; non autem ratione distinctionis, qua perfectio virtutis vnius causæ distinguitur à perfectione virtutis alterius causæ; & ideo posito concursu duarum talium causarum ad producendum vnum effectum, indigentia effectus non ab vna tantum, sed ab vtraque tanquam vna suppleretur per communem vtriusque virtutis perfectionem; & ideo sublata earum altera, tam quo ad distinctionem, quam quo ad perfectionem virtutis vtriusque communem, tollitur etiam effectus; quia tollitur absolutè perfectio causæ, à qua pendet perfectio effectus. Videnda sunt quæ diximus in 1. p. loc. sup. not.

CIRCA resp. ad 1. argum. disputant expositores; an in eo casu tres diuinæ personæ essent vnus homo vel plures homines? sed quoniam huius Controu. definitio pendet ex ijs, quæ latè diximus in 1. p. q. 39. a. 3. Quo loco probauimus secundum D. Th. futuras tunc tres personas vnum hominem absolute: ideo sufficiat aduertere Caiet. non rectè affirmare D. Th. hic ad primum, dicere quod tres personæ essent vnus homo, & tamen nõ propterea essent vnus homo simpliciter: non enim ita loquitur S. D. sed ait: Verum esset dicere, quod essent vnus homo propter vnā naturam humanam; nec ly vnus importaret vnitatem personæ, sed vnitatem in natura humana: non enim posset argui ex hoc, quod tres personæ sunt vnus homo, quod essent vnus simpliciter: nihil enim prohibet dicere, quod homines, qui sunt plures simpliciter sunt vnus, quantum ad aliquam, puta vnus populus: Quibus verbis nihil aliud intendit S. D. nisi propositionem hanc in eo casu esse falsam, vt tres personæ sunt vnus, propter rationem illam quam assignat idem S. D. 1. p. q. 37. artic. 2. ad 4. ex differentia inter nomen masculinum, & neutrum dicens, masculino significari suppositum; neutro verò essentia; ideo rectè dici, quod Pater & Filius sunt vnum, sed non vnus. Vide quæ scribit hic Suar. circa resp. ad 1. disp. 18. sect. 2. §. Quarta difficultas.

Art. pres.
ad 1.

quod essent ibi duo supposita: sicut è conuerso tres per-
sona dicerentur vnus homo, propter vnā natu-
ram assumptam, vt supra dictum est. Sed hoc non vi-
detur esse verum: quia nominibus est vtendum secun-
dum quod sunt ad significandum imposita: quod
quidem est ex consideratione eorum, quæ apud nos
sunt. Et ideo oportet circa modum significandi, &
consignificandi considerare ea, quæ apud nos sunt in
quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum
pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppo-
situm. Homo enim, qui est duobus vestimentis in-
datus, non dicitur duo vestiti, sed vnus vestitus duo-
bus vestimentis: & qui habet duas qualitates, dicitur
singulariter aliquis secundum duas qualitates. Natu-
ra autem assumpta quantum ad aliquid, se habet per
modum induimenti, licet non sit similitudo, quantum
ad omnia: vt supra dictum est. Et ideo si persona diui-
na assumeret duas naturas humanas, propter vnitatem
suppositi, diceretur vnus homo, habens duas na-
turas humanas. Contingit autem, quod plures homines
dicuntur vnus populus, propter hoc, quod conueniunt in
aliquo vno: non autem propter vnitatem suppositi. Et
similiter si dua persona diuina assumerent vnā nu-
mero humanam naturam, dicerentur vnus homo (vt
supra dictum est) non vnitatem suppositi, sed in quantum
conueniunt in aliquo vno.

q. 14. 6. ad
2.

D. 249.

D. 258.

q. 14. 6. ad
1.

Ad tertium dicendum, quod diuina & humana na-
tura non eodem ordine se habent ad vnā personam
diuinā, sed per prius comparatur ad ipsam diuinā
naturā, vt potè quæ est vnum cum ea ab æterno. Sed
natura humana comparatur ad personam diuinā
per posterius, vt potè assumpta ex tempore à diuinā
persona: non quidem ad hoc, quod natura sit ipsa perso-
na, sed quod persona in natura subsistat: filius enim Dei
est sua Deitas, sed non est sua humanitas. Et ideo ad
hoc, quod natura humana assumatur à diuinā perso-
na, requiritur, quod diuina natura vniōne personali v-
niatur toti naturæ assumptæ, id est, secundum omnes
partes eius. Sed duarum naturarum assumptarum esset
vniōnis habitudo ad personam diuinā, nec vna as-
sumeret aliam. Vnde nō oportet, quod vna earum to-
taliter alteri vniatur, id est, omnes partes vnius omni-
bus partibus alterius.

Sensus questii.

ADVERTE adiectiuum illud, humanas hic
non ad limitandum quælitum adiungi, sed
ad faciliorem & clariorem difficultatis explica-
tionem; & quia eadem omnino ratio est de diuer-
sis specie vel genere naturis; ideo quælitum ad
earum etiam assumptionem extenditur, & ex
communi doctrina difficultas ad plures naturas,
etiam specie vel genere distinctas extensa defi-
nitur. Vide etiam rationem quæsitæ quam Caie-
tanus assignat.

Forma Textus.

CONCLUSIO est: Siue consideremus personam
diuinā secundum virtutem, quæ est princi-
pium vniōnis, siue personalitatem, quæ est terminus
vniōnis, oportet dicere, quod persona diuina præ-
ter naturam humanam, quam assumpsit, possit al-
iam numero naturam humanam assumere. Proba-
tur primò, quo ad primam partem; quia, quod po-
tèst in vnum & non in amplius, habet poten-
tiam limitatam ad vnum: at potentia diuina non
potèst limitari ad aliquid creatum; ergo, confi-
derata persona diuina secundum virtutem, quæ
est principium vniōnis, oportet dicere &c. Mi-
nor probatur: quia potentia diuinæ personæ est
infinita. Deinde probatur conclusio, quo ad alte-
ram partem: quia videtur ex hoc sequi quod per-
sonalitas diuinæ naturæ esset ita comprehensa

per vnā naturam humanā, quod ad eius per-
sonalitatem alia assumi non posset: at hoc est im-
possibile; ergo si consideremus personam diui-
nam secundum suam personalitatem, quæ est ter-
minus vniōnis, &c. Minor probatur, quia increa-
tum à creato comprehendi non potèst.

Expositio Textus.

ADVERTENDUM hic primò est, D. Thomā
in probatione conclusionis supponere tā-
quam notum & indubitatum, nullam ex parte
naturarum esse repugnantiam: sed in eis esse po-
tentiam obedientialem; vt ab eadem diuina per-
sona possint assumi & simul in ea subsistere, vt
hic etiam aduertit Suar.

Secundò, Notanda est expositio Caietani circa
maiores illam: Quod potèst in vnum, & non in am-
plius, &c.

Tertiò Observandum est ex probatione secunde
partis conclusionis deduci diuinā personalita-
tem esse infinitam in terminando, vt hic scitè Cai-
et. aduertit.

Quartò, Vide si placet, ea, quæ circa secundam
partem Conclusionis scribit Suar. disp. 13. sect. 3. in
princ.

Quintò, Lege ea quæ notat Caiet. circa respon-
siones ad argumenta, & post eum Suar.

PRIMA CONTROVERSIA.

An, si vna persona diuina plures naturas humanas
assumeret, dicenda esset vnus homo, vel plures?

RICARDVS in 3. dist. 1. ar. 1. qu. 5. ait in eo casu
neque esse vnum neque plures homines
simpliciter, sed vtrumque secundum quid. Quam
opinionem secuti sunt quidam discipuli D. Th.
quos hic innominatos refert Med.

S. Th. in 3. dist. 1. qu. 2. ar. 5. in resp. ad 2. 3. 4. & 5.
docet in eo casu, personam illam dicendam esse
plures homines; quæ fuit opinio Altisiodorensis
in summa lib. 4. tr. act. 1. c. 1. q. 5. Quam etiam secuti
sunt Scotus in 3. dist. 1. q. 5. & in 1. dist. 12. q. vnica, &
Durandus in 3. eadem dist. Oppositam sententiam
habet hic S. D. ad 2. Quam sequuntur quidam
antiquiores Theologi, quos refert Suar. disput. 13.
sect. 3. & omnes expolitores.

Bergomas dub. 249. & latius ac melius Ferrar.
in 4. cont. gent. c. 11. nititur vtramque sententiam
conciliare, & vt probabilem sustinere.

PENDET huius Controversiæ resolutio ex il-
la regula S. D. in 1. p. qu. 39. a. 3. videlicet singulari-
tas vel pluralitas nominis in substantiis atten-
ditur secundum formam significatam per nomē
in adiectiuis autem attenditur singularitas &
pluralitas secundum supposita; quæ si bene
fuerit intellecta veritatem aperiet quā inquiri-
mus; & opposita diluet argumenta: eius au-
tem sensum diligenter ac perspicue declarauim-
us in 1. p. qu. 39. ar. 3. Contron. vnica: quam vide si
placet. Quædam tamen huic nostræ disputationi
maximè necessaria ex ijs, quæ latè diximus ibi,
breuiter attingemus.

Sciendum est igitur primò ex Ferrariensi lib. 4.
cont. gent. cap. 11. §. ad primum horum nominum sin-
gularitatem & pluralitatem ex duobus depende-
re; quorum alterum est ratio & causa formalis
singularitatis vel pluralitatis: alterum autem
eandem rationem concomitatur, & potèst nun-
cupari causa siue conditio sine qua non. Et quia
nomina substantiua significant aliquid per mo-
dum substantiæ, quæ licet per se habet esse, ita
per

Ex ratio-
bus substan-
tijs, & ad-
iectiui mo-
dus esse
dicitur perso-
nam assu-
mentem duas
humanitas
res dicenda
esse simpli-
per

per se habet vnitatem vel multitudinem, idē
singularitas vel pluralitas nominis substantiui
attenditur ex forma per nomen significata, tan-
quam ex causa & ratione formali singularitatis
vel pluralitatis: & quoniam apud nos non inue-
nitur forma substantialis multiplicata sine sup-
positorum multiplicatione: idēō hęc etiam ne-
cessaria est veluti causa seu conditio sine qua, vt
nomen substantiuum pluraliter dici possit, quod
hic etiam expressē docet S. Th. *ad 2.* dicens nun-
quam nomen ab aliqua forma impositum dici
pluraliter nisi per pluralitatem suppositorum.
Nomina verō adiectiua significant aliquid per
modum accidentis: accidentia verō suam vnitatem
vel pluralitatem habent ex subiecto, in quo
& ex quo etiam habent esse: & idēō in adiectiuis
attenditur singularitas ex pluralitate supposito-
rum, tanquam ex ratione & causa præcipua sin-
gularitatis & pluritatis, itaque si solum atten-
damus rationem seu causam vnitatis aut plurali-
tatis in nominibus substantiuis, sola sufficit for-
mæ singularitas ad eius singularitatem & plura-
litas ad pluralitatem: & in hoc sensu accipienda
sunt verba S. D. in 1 p. loc. not. & alibi dicentis,
singularitatem vel pluralitatem nominis substantiui
atredī secundum formam significatam per nomē:
si verō nō solum rationem & causam præcipuam,
sed etiam id q̄ simul cum ea secundario concurrir,
vt necessariū ad eiusdem nominis singularitatē
vel pluralitatem simpliciter & absolute consti-
tuendam attendamus, dicendum est ad substan-
tium nominis pluralitatem necessariam esse plu-
ralitatem suppositorum, vt *hic ad secundum* ait
S. D.

*Secundo notandum est, naturam humanam Verbo personaliter unitam, quantum ad aliquid se habere per modum habitus, qui est vltimum prædicamentum: ac proinde præ se ferre modum accidentis, quatenus aduenit diuino supposito post eius esse completum: & non identificatur ipsi supposito: accidentia verò vt antè diximus, multiplicantur & numerantur iuxta multitudinem & numerum suppositorum: & ideò nomen hoc, *homo*, dictum de Christo aliquid habet de conditione nominis adiectiui: & secundum huius conditionis seu modi considerationem accipit pluralitatem à pluralitate suppositorum, qua deficiente non dicitur nisi singulariter: & ideò S. D. *hic ad secundum* ad prædictam huius nominis, *homo*, de Christo prædictam conditionem seu modum respiciens, dixit; quòd si persona diuina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur vnus homo habens duas naturas humanas: Sed rursus eadem natura humana, non solum quædam substantia est secundum se; sed etiam trahitur ad unitatem & esse diuini suppositi quod in ea subsistit: ideò hoc nomen, *homo* dictum de Christo est verè propriè & absolute nomen substantiuum; ac propterea si Verbum duas humanitates assumeret, haberet in se causam & rationem præcipuam pluraliter prædicandi hoc nomen *homo* de Verbo vel de Christo, dicendo Verbum vel Christus est duo homines: nec tamen sequitur propositionem hanc simpliciter, id est nullo addito vel subintellecto, veram esse: (quoniam ad pluralitatem nominis substantiuui, præter formæ seu naturæ significatæ pluralitatem, requiritur etiam necessariò pluralitas suppositorum, vt antè diximus): sed vera est ea propositio subintellecta dicta limitatione, videlicet quantum ad rationem seu causam pluralitatis: opposita verò propositio*

Naz. in D. Tho. 3. partem

A simpliciter vera esset, illa videlicet: Verbum vel
Christus est vnus homo; quia Verbum esset vnū
vtriusque naturæ suppositum. Nec verum est
quod ait Ferrar. *in d. cap. 11.* nimirum S. Thomam
hic ad secundum loqui de hoc nomine, *homo*, tan-
quam de nomine substantiuo, vt clarè patet ex si-
militudine vestimenti quam hic adducit: Et
quamuis *in articulo precedenti* de hoc eodem no-
mine, tanquam de substantiuo locutus fuerit; nõ
tamen sequitur, eodem modo fuisse nomen illud
hic à D. Tho. consideratum. Quod si non placet
hæc expositio, dicas cum Ferrariens. ad pluralita-
tem nominis substantiuī currere pluralita-
tem formæ significatæ, & pluralitatem suppositi-
torum; illam tanquam rationem & causam for-
malem pluralitatis: hanc verò tanquam causam
seu conditionem sine qua non posset esse plurali-
tas nominis substantiuī: non per hoc tamen ex-
cludi suppositorum pluralitatem, quæ suo mo-
do dictæ pluralitatis est causa, si de pluralitate
nominis substantiuī simpliciter dicta sermo sit
si verò de pluralitate nominis substantiuī non
absolutè dicta, sed quasi secundum quid seu
cum addita prædicta determinatione, videlicet
quantum ad rationem seu causam pluralitatis,
nullam secum fert, aut admittit suppositorum
pluralitatem; & secundum hanc nominis substā-
tiuī pluralitatem secundum quid seu cum addi-
to docet quandoque S. D. quòd si vna persona
diuina plures assumeret humanitates, esset & di-
ceretur plures homines.

Ex dictis sequitur, Primò ex vnitate suppositi Corollarie
optimè inferri singularitatem concreti sub- deducitur
stantiui; quoniam, vt diximus, ad pluralitatem
substantiui simpliciter & propriè dictam requi- doctrinæ D.
ritur pluralitas suppositorum, vt causa siue con- Th. & mo-
ditio sine qua non igitur si non fuerint plura sed dus loquen-
vnum suppositum: tametsi plures sint formæ vel di in alijs
naturæ, non poterit nomen substantiuum con- casibus di-
cretum de illo supposito, nisi singulariter prædi- hinc omni-
cari. potentiæ
possibilibus.

Secundū sequitur ; solam pluralitatem suppositorum , non inferre pluralitatem concreti substantiui ; quia requiritur formæ seu naturæ significata pluralitas , vt ratio seu causa formalis dictæ pluralitatis : & ideo tres personæ diuinæ non sunt tres Dij ; quoniam earum est vna diuinitas. Huius doctrinæ , quæ est Cai. *circarep. ad 2. arg. D. Th. & ipsius S. D. hic ad 2. & alijs locis supra notatis* , nititur Suar. *disp. 13. sect. 3* rationem assignare ; quæ tamen non videtur satis firma ; videat eam , qui voluerit.

Tertio, sequitur non esse prorsus opposita dicta D. Th. supra relata; sed dictis modis facile posse conciliari.

Quarto sequitur, quod si verbum dimitteret assumptam humanitatem, & eam Pater assumeret non esset diuersus sed idem homo, sicut nec Verbum homo & Pater homo essent plures, sed vnus homo; quia Pater esset in eadem numero humanitate subsistens, & similiter si vice versa, Verbum eam quam habet humanitatem dimitteret, & aliam assumeret, perseveraret idem homo, quemadmodum si panis dimissa ea quam habet albedine aliam recipiat, non erit diuersum sed idem album: Ratio verò est; quia eadem est vnitatis aut pluralitatis ac proinde etiam identitatis ac diuersitatis ratio; siue ponantur plures naturæ simul in eodem supposito siue successiue: & similiter eadem ratio est siue ponatur eadem natura numero simul assumi à duabus personis siue successiue. Cum itaque tam plures personæ diuinæ simul habentur

Y

tes

tes actu eandem humanitatem, quam vna persona simul habens duas humanitates dicenda sint simpliciter vnus homo; consequens est vt si hæc illis successiue conueniant, in vtroque casu maneat vnus homo simpliciter; vt etiam in *allegata sect. 3.* Suarez aduertit: posita tamen assumptione successiua maior quædam esset diuersitas inter composita sibi succedentia, quam esset inter eadem composita simul assumptionem terminantia; quoniam in priori casu differret posterius à priori, sicut ens à non ente: prius enim compositum altero succedente cessaret; atque ideo minus improprie dici posset, Patre cui inisset humanitas à filio dimissa, esse diuersum hominem ab eo, qui dicebatur de filio & in eo casu plures esse homines filium olim incarnatum, & Patrem actu habentem humanitatem, quam dicerentur plures homines Pater & Filius, si eandem simul assumerent humanitatem; quod idem dicendum est in eo casu, quo ponitur vna persona plures successiue naturas assumere; comparatione eiusdem persone simul eadem naturas assumentis.

Conclusiones
deductæ,
& probatæ.

PRIMA CONCL. Si vna persona diuina duas assumeret humanitates, diceretur vnus homo duas habens humanitates. Hæc est D. Th. hic ad secundum, & patet ex dictis vbi aduerte verba illa: duas habens humanitates non esse modificantia, aut diminuentia rationem vnitatis; sed distinguunt hominem simpliciter vnum ab alio homine simpliciter vno; quia homo vnam tantum habens humanitatem est vnus vnitatem simpliciter ex vtraque parte deriuata scilicet ex parte naturæ & ex parte suppositi: homo verò duas habens humanitates est vnus simpliciter propter vnitatem suppositi, vt hic ait S. D. ad secundum spectata verò naturarum pluralitate, non est vnus homo sed plures. Sed quoniam hæc sola non sufficit, vt verè & absolute dicatur esse plures homines; cum requiratur etiam pluralitas suppositorum; ideo proprie & simpliciter est vnus homo, & ita loquendum est.

SECUNDA CONCLVS. Si Filius Dei assumeret duas humanas naturas, & secundum vnam vocaretur Iesus, & secundum aliam vocaretur Ioannes, essent plures homines, considerata causa & ratione pluralitatis communi cuiuslibet nomini substantiuo concreto, quæ est pluralitas naturarum. Hæc exprimit mentem D. Th. in 3. vt patet ex supradictis.

TERTIA CONCLUSIO: In prædicto casu dici posset Iesum & Ioannem esse plures homines secundum quid, & vnus homo secundum quid, prout secundum quid distinguitur contra simpliciter acceptum, prout idem est quod omnibus modis. Declaratur & probatur hæc conclusio. Et primò quoad primam partem; quoniam hæc pluralitas non est secundum omnia; sed tantum secundum vnum requisitum ad pluralitatem nominis substantiuum, scilicet secundum naturarum pluralitatem; ergo est pluralitas secundum quid. Quoad alteram verò partem probatur etiam eodem modo: quoniam hæc vnitas non est secundum omnia, quæ possunt concurrere ad vnitatem concreti substantiuum; sed tantum secundum vnum sc. secundum suppositi vnitatem; non est autem secundum vnitatem nature; quia duplex est natura; ergo non esset tunc vnus homo simpliciter, i. omnibus modis, quibus esse potest vnus homo; cum tamen sit vnus simpliciter, id est sine addito vel absolute: & in hoc sensu vera est prima sententia.

Argumenta,
& solutio.
nes.

CONTRA primam conclus. sunt argum. quæ proponunt & soluunt Med. super hoc ar. & Suarez

A disp. 13. sect. 3. quæ per ea, quæ supra notata sunt facile diluuntur. Ex quibus etiam satisfieri potest argumentis ex doctrina D. Th. deductis, ac præsertim ex 3. loc. sup. not.

SECUNDA CONTROVERSIA.

An facta suppositione, quod diuina persona duas assumeret humanitates, vel vnam humanitatem & vnam Angelicam naturam, id quod vni naturæ conueniret, tribueret ut eidem personæ etiam vt sustinet aliam naturam?

SVAR. in suo comm. ad hunc a. opinionem tueretur affirmantem; quam sequitur Montagnoli super hoc ar. dicens id concedere D. Tho. in 3. d. 5. q. 2. art. 5. ad 2. Vbi ait: si filius Dei assumeret duas humanitates & secundum vnam vocaretur Iesus, & secundum alteram Petrus, hæc esset vera: Petrus est Iesus. Sed oppositum docet Caietanus hic ad tertium dicens, futuram non esse tunc communionem conuenientium illi personæ secundum vnam naturam assumptam cum conuenientibus illi secundum aliam naturam assumptam, & posse tunc mori secundum vnam & viuere secundum aliam; adeo vt mortuo Verbi gratia Iesu, non posset dici mortuus Petrus; sed bene diceretur mortuus Deus & Dei filius, & similiter viuo Petro tantum, non verè diceretur viuus Iesus sed viuus Deus & Dei filius. Quam sententiam sequuntur Medin. & Valent. super hoc ar.

PRINCIPIVM huius definiendæ Controversiæ sumendum est ex responsione S. D. hic ad 3. Offendunt argumentum: vbi statuit differentiam inter propriam diuinæ personæ naturam & humanitatem aut quamlibet aliam naturam assumptam possibilem, quod diuina persona est sua Dei; non autem sua humanitas. Ex qua sequitur alia differentia nimirum vt cuiusque assumptæ naturæ fuerit hypostaticè per se primò coniuncta diuina persona, eidem toti naturæ secundariò Deitas vnietur, non autem humanitas: sed hæc alteri assumptæ naturæ in vna diuina persona vtrique personaliter vnita per accidens iungeretur manente inter vtramque distinctione; non secundum substantiam solum sed etiam secundum locum. Et ex hac secunda sequitur tertia differentia, videlicet in eo casu nullam esse communicationem eorum quæ vni assumptæ naturæ conueniunt & de ea prædicantur, cum ijs quæ secundum aliam assumptam naturam eidem personæ conueniunt & de illa prædicantur; immò (vt ante diximus ex Caietano) posset simul mori secundum vnam & viuere secundum aliam, &c. Sed obseruandum est differentiam hanc intelligendam esse de prædicatione substantiali & per se, qualis est ea quæ de Deo seu persona Verbi prædicantur ea quæ sunt hominis, & è contra, vt patet ex qu. 16. sic enim non prædicarentur de persona diuina subsistente in vna assumpta natura ea, quæ secundum alteram assumptam naturam illi conuenirent, sed prædicatione tantum per accidens: sicut nunc in Petro musico & medico prædicatur musicum de medico, & è contra, propter vtriusque conjunctionem in vno supposito; & eadem ratione dici verè potest musicum curare & medicum cantare; quæ tamen sunt prædicationes omnino per accidens. Ex quo patet veram esse doctrinam Caietani dicentis, communicationem idiomatum inter duas Christi naturas in concreto significatas ex eo provenire, quod diuinitas & per-

Sententia
doctorum.

Resolutio.
Offendunt
partem non
gantum esse
verè loquē-
do de prædi-
catione per
se, affirmant
tem aut esse
verè loquē-
do de prædi-
catione per
accidens.

sona Verbi sunt omnino idem; non autem ex eo præcisè quòd sit vna persona subsistens in vtraque natura: intelligenda est enim de prædicatione per se: si verò de communicatione sermo sit secundum quemcunque prædicandi modum, siue per se siue per accidens, sola sufficiet vnitas personæ subsistentis in vtraque natura: & in hoc deceptus fuisse videtur Suarez inter duos prædictos prædicationis modos non distinguens.

Conclusio. Ex dictis sequitur hæc VNICA CONCLVSIO: Si diuina persona duas eiusdem, aut etiam diuersæ rationis naturas assumeret, non esset inter eas concretè sumptas idiomatum communicatio cum prædicatione per se; sed tantum cum prædicatione per accidens.

Obi. CONTRA concl. argumentatur Suarez primò: Quia communicatio idiomatum, quæ est inter duas Christi naturas concretè sumptas, non fundatur in hoc, quòd diuinitas & persona Verbi sunt omnino idem; sed in hoc quòd vna & eadem persona sub vtraque natura subsistit, & pro ea supponunt nomina naturam ipsam significantia in concreto; ergò esset inter duas naturas idiomatum communicatio. Antecedens probatur primò; quia duæ formæ accidentales existentes in eodem supposito communicant in prædicatis. Secundò si Verbum duas assumpsisset naturas scilicet Angelicam & humanam, bona esset huius exppositorij syllogismi consequentia: Hic homo patitur; ergò Verbum patitur: rursus sed Verbum est hic Angelus; ergò hic Angelus patitur. *Resp.* falsum esse antecedens loquendo de prædicatione per se. Ad primam probationem dico communicationem illam esse secundum prædicationem per accidens, vt patet in hac propositione; album est musicum. Ad secundam admissa prima consequentia, dico, propositionem illam subsumptam; sed Verbum est hic Angelus, dupliciter intelligi posse: Vno modo, vt hoc suppositum quod est Verbum secundum se sit idem realiter, quod illud suppositum, quod est Angelus, & sic vera tunc esset illa propositio, sed falsa est consequentia ex ea deducta, videlicet; ergo Angelus patitur per se loquendo: Alio modo, vt illud suppositum, quod est Verbum, non solum secundum se, sed etiam ea ratione, qua conuenit illi passio, sit idem quod suppositum Angeli: & in hoc sensu falsa est illa propositio; quia persona Verbi non est passibilis, nisi ratione humanitatis, secundum quam est persona humana; constat autem Verbum vt est persona humana, non posse esse personam Angelicam; & idè in argumento est fallacia accidentis; quia Verbum tunc esset idem in ratione suppositi vt sic cum Angelo & homine, sed non esset idem secundum rationem suppositi talis & talis naturæ puta humanæ & Angelicæ; quia Verbum vt suppositum, non dicit vnionem aut subsistentiam in humana aut in Angelica natura: & idè homo & Angelus tunc conuenirèt tam cum Verbo quam inter se in ratione suppositi: sed inter se differrent secundum naturas seu secundum vniones ad naturas, & secundum subsistentiam in tali & in tali naturæ; ac proinde fallacia manifestè committitur accidentis; quoniam ex eo, quòd secundum vniam rationem extremam per se vniantur in medio, concluditur quòd etiam inter se conueniant secundum id quo distinguuntur tam inter se quàm ab ipso medio: non est igitur hoc argumentum exppositorium, sed deceptorium. Pro confutatione etiam huius argumenti faciunt ea, quæ latè scriptum sunt in l. p. q. 28. a. 3. Contr. vnica de sensu il-

lius principij: Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem.

Secundò arguit: quia S. Th. in 3. dist. 1. q. 2. a. 5. ad ob. 2. mittit hanc communicationem idiomatum in eo casu. *Resp.* D. Th. ibi communicationem hanc admittere secundum prædicationem per accidens; non autem per se: illa enim prædicatione Petrus est Iesus, non est prædicatione per se, sed per accidens, sicut hæc: album est musicum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum fuerit magis conueniens, quòd persona filij assumeret humanam naturam, quàm alia persona diuina.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit magis conueniens filium Dei incarnari, quàm Patrem, vel Spiritum sanctum. Per mysterium enim Incarnationis, homines ad veram Dei cognitionem sunt perducti; secundum illud Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhib. veritati. Sed ex hoc, quòd persona filij Dei est incarnata, multi impediti fuerunt a vera Dei cognitione, ea quæ dicuntur de Filio secundum humanam naturam referentes ad ipsam Filij personam: sicut Arius, qui posuit inæqualitatem personarum propter hoc, quòd dicitur Ioan. 14. Pater maior me est. Qui quidem error non prouenisset, si persona Patris incarnata fuisset: nullus enim æstimasset Patrem Filio minorem. Magis ergo videtur fuisse conueniens, quòd persona Patris incarnaretur quàm persona Filij.

Præterea, Incarnationis effectus videtur esse recreatio quedam humane naturæ, secundum illud Gal. vlt. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed noua creatura. Sed potentia creandi appropriatur Patri. Ergo magis decuisset Patrem incarnari, quàm Filium.

Præterea, Incarnatio ordinatur ad remissionem peccatorum; secundum illud Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. Remissio autem peccatorum attribuitur Spiritui sancto, secundum illud Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remis. pec. re. eis. Ergo magis congruebat personam Spiritus S. incarnari quàm personam Filij.

Sed contra est, quòd Damas. dicit in 3. lib. In mysterio Incarnationis manifestata est sapientia, & virtus Dei: sapientia quidem, quia inuenit difficillimam solutionem pretij, quàm decentissimam: virtus autem, quia victum fecit rursus victorem. Sed virtus, & sapientia appropriantur Filio: secundum illud 1. Cor. 1. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ergo conueniens fuit personam Filij incarnari.

Respondeo dicendum, quòd conuenientissimum fuit, personam Filij incarnari. Primò quidem ex parte vnionis. Conuenienter enim ea, quæ sunt similia, vniantur. Ipsius autem personæ Filij, qui est Verbum Dei attenditur vno quidem modo communis conuenientia ad totam creaturam: quia verbum artificis, id est, conceptus eius, est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt. Vnde Verbum Dei, quod est æternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creature. Et idè sicut per participationem huius similitudinis, creaturæ sunt in proprijs speciebus instituta, sed mobiliter: ita per vnionem Verbi ad creaturam non participatam, sed personalem, conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam, & immobilem perfectionem. Nam, & artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit, restaurat. Alio modo habet conuenientiam specialiter cum humana natura, ex eo quòd

Verbum est conceptus aeterna Sapientia, à qua omnis sapientia hominum derivatur. Et ideo per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria eius perfectio, prout est rationalis, quod participat Verbum Dei: sicut discipulus instruitur per hoc, quod recipit Verbum magistri: unde Eccl. 1. dicitur, Fons sapientie Verbum Dei in excelsis. Et ideo ad consummatam hominis perfectionem conueniens fuit, ut ipsum Verbum Dei humane naturæ personaliter vniretur.

Secundo potest accipi ratio huius congruentiæ ex fine vniõis, qui est impletio prædestinationis, eorum scilicet, qui præordinati sunt ad hereditatem cælestem, quæ non debetur, nisi filius eius: secundum illud Roman. 8. Si filij, & heredes. Et ideo congruum fuit, ut per eum, qui est filius naturalis, homines participarent similitudinem huius filiationis secundum adoptionem: sicut Apostolus ibidem dicit: Quos præsciuit, & prædestin. conformes fieri imagin. filij sui. Tertiò potest accipi ratio huius congruentiæ ex peccato primi parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur. Peccauerat enim primus homo, appetendo scientiam: ut patet ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni & mali. Unde conueniens fuit, ut per Verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil est, quo humana malitia non possit abuti: quando etiam ipsa Dei bonitate abutitur secundum illud Rom. 2. An diuitias bonitatis eius contemnis? Unde etiam si persona Patris fuisset incarnata, potuisset ex hoc homo alicuius erroris occasionem sumere, quasi Filius sufficere non potuisset ad humanam naturam reparandam.

Ad secundum dicendum, quod prima rerum creatio facta est à potentia Dei Patris per Verbum. Unde & recreatio per Verbum fieri debuit à potentia Dei Patris, ut recreatio creationi responderet: secundum illud 2. Corin. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.

Ad tertium dicendum, quod Spiritui sancto proprium est, quod sit donum Patris, & Filij. Remissio autem peccatorum fit per Spiritum sanctum, tanquam per donum Dei. Et ideo conuenientius fuit ad iustificationem hominum, quod incarnaretur Filius, cuius Spiritus sanctus est donum.

Forma Textus.

CONCL. est: Conuenientissimum fuit, personam Verbi incarnari. Probatur tripliciter: primo ex parte vniõis; quia ea quæ similia sunt conuenienter vniuntur; sed persona Filij qui est Verbum Dei habet conuenientiam seu similitudinē, vno quidem modo communem ad totam creaturam: alio verò modo specialem cum humana natura; ergo conuenientissimum fuit, &c. Maior patet. Minor quoad primam partem probatur; quia Verbum artificis, id est conceptus eius est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt; ergo Verbum Dei, quod est æternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturæ. Ex qua probatione deducit S. D. aliam probationem conclusionis: quoniam artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsū si collapsū fuerit restaurat; ergo sicut per participationem dictæ similitudinis exemplaris, quæ est Verbum Dei, creature sunt in proprijs speciebus institutæ sed mobiliter; ita per vniõem Verbi ad creaturam non participatam sed personalem conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam & immobilem perfectionem. Secundo probatur eadem minor, quoad secundam partem; Quia per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria eius perfectio, prout est rationalis,

A quod participat Verbum Dei; ergo ad cōsummatam hominis perfectionem conueniens fuit, ut ipsum Verbum Dei humane naturæ personaliter vniretur. Antecedens probatur tripliciter. Primo: quia Verbum est conceptus æternæ sapientiæ à qua omnis sapientia hominum derivatur; ergo. Secundo probatur à simili; quia discipulus instruitur per hoc quod recipit Verbum magistri. Tertiò autoritate Scripturæ Eccl. 1. dicentis: Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Secundo probatur conclusio. Ex fine vniõis, qui est impletio prædestinationis, eorum scilicet, qui prædestinati sunt ad hereditatem cælestem; Quoniam hereditas cælestis non debetur, nisi filijs Dei; ergo cōgruum fuit ut per eū qui est filius naturalis homines participaret similitudinē huius filiationis secundum adoptionem. Antecedens probatur ex Apost. ad Rom. 8. cap. dicente: Si filij, & heredes. Consequentia verò probatur autoritate eiusdē Apost. ibidem dicentis: Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imagin. filij sui. Tertiò probatur conclusio ex parte peccati primi parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur: Quoniam homo peccauerat appetendo scientiam; ergo conueniens fuit, ut homo qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo reduceretur in Deum per verbum veræ sapientiæ.

Expositio Textus.

VIDE si placet formam, quam adhibet Caiet. discursui præsentis. & ea, quæ circa probationes conclusionis aduertit Med. & loca Patrum quæ notat Vafq.

QVAESTIO QVARTA.

De modo vniõis ex parte naturæ humane assumptæ in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de Vniõne ex parte assumpti. Circa quod primo considerandum occurrat de his, quæ sunt à Verbo assumpta. Secundo, de coassumptis, quæ sunt perfectiones & defectus. Assumpsit autem Dei filius humanam naturam & partes eius.

Vnde circa primum triplex consideratio occurrat. Prima est quantum ad ipsam naturam humanam. Secunda est quantum ad partes ipsius. Tertia quantum ad ordinem assumptionis.

Circa primum queruntur sex.

Primo, vtrum humana natura fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quam aliqua alia natura.

Secundo, vtrum assumpsit personam.

Tertiò, vtrum assumpsit hominem.

Quarto, vtrum fuisset conueniens, quod assumpsisset naturam humanam à singularibus separatam.

Quinto, vtrum fuisset conueniens, quod assumpsisset humanam naturam in omnibus eius singularibus.

Sexto, vtrum fuerit conueniens, quod assumeret humanam naturam in aliquo homine ex stirpe Adæ progenito.

Ratio ordinis.

QVÆSTIO hæc est de modo vniõis hypostatice ex parte naturæ humane: & primo quo ad ipsam naturam. Secundo quo ad modos essendi aut concipiendi eidem conuenientes & eius originem. Circa primum: querit primo S. D. de assumptibilitate humane naturæ, non curando vtrum sit personata nec ne. Secundo agit de eadem natura quatenus est personata. Tertiò mouet quæsitum de modo loquendi: An scilicet Deus assumpsit hominem Cuius